

SCD Lyon 1

Bibliothèque du Docteur  
P. J. F. DE POLINIÈRE,  
Membre de la Société royale de Médecine,  
Médecin des Hôpitaux du Roi, à Vire, etc.

1776.





36.207

# HERMANNI- BOERHAAVE

PHIL. & MED. DOCTORIS,  
Medicinæ , Botanices , Chemicæ ,  
& Collegii Practici ,

Lugduni Batavorum Professoris ,  
Regiæ Scientiarum Academiæ Socii.

## TRACTATUS. DE VIRIBUS MEDICAMENTORVM.

DON DE MR  
DE POLIVIÈRE  
1856



PARISIIS,

Apud GUILLEMUM CAVELIER ,  
filium, via Jacobæa, propè Fontem sancti  
Severini, sub signo Lilii Auræi.

---

M. DCC. XXIII.  
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.





---

## P R A E F A T I O.

**D**ECEM abhinc circiter annis,  
BENEVOLI LECTORES, Medicamentorum Virtutes publicè docebat in Academiâ Lugduno-Batavâ Clarissimus Professor BOERHAAVIUS; cùm plures Auditores, conjunctâ operâ, quantum possibile, ipsius dictata scribendo collegerint, scriptaque inter se conferendo, totum lectionum cursus exceperint. Hincque natum manuscriptum nostrum, cuius tanta apud Leidenses studiosos existit fama, ut mirum sanè, quantus Exemplarium numerus brevî transcriptus sit.

Hâc partim ducti ratione, ut describendi labore sublato, facilius prostatet; maximè verò multorum hîc loci impulsî precibus Opus illud summoperè desiderantium, nobisque exponentium, quâm valde Medico orbi ipsius Editio prodesset, Exemplaria nostra Typographo excudenda tradidimus.

Jam antè biennium editus fuit Londini Liber sub eodem Titulo Anglice redditus; verum defectu accurat Exempli, atque idonei Interpretis tam turpiter hoc effectum est, at vix Au-

## P R A E F A T I O .

etorem dignoscas, immò vix intelligas.

Quam purè autem à Clarissimo BOERHAAVIO derivatum sit hocce Opus, quantāque diligentia ex ore ipsius exceptum, sive Opiniones, sive Methodum, sive Stylum specētes, judicabunt Illi, quibus magnum Virum docentem audisse, vel quibus ipsius sola scripta scrutari contigit.

Priores in hoc Opere Auctoris docentis solitam sermonis perspicuitatem, materiarum aptissimam illam dispositiōnem, ac denique ipsius egregiam agnoscēt docendi methodum, quā vel tar-dissimis ingeniis mentem suam insinuare valet.

Utrique verò in hoc scripto repētient verum Auctoris characterem, qui in omnibus suis emicat Operibus; hanc puto severitatem Ratiocinii fidissimis nitentis Observationibus, vel inde ductis aequè firmis Principiis.

Sagacissimus ille Vir antiquam Medicinae faciem quantoperè immutavit! Implicatam anteà modò Galenicorum nugis, modò Chemicorum figmentis ille demùm expedivit. Vix hactenus tentato itinere incedens, sola sensuum observata pro datis assumendo, mechanicis, physicisque legibus de hisce ra-

## PRAEFATIO.

tioinando, miranda certè patefecit pro  
abstrusis olim habita; viamque com-  
planavit, quā in ipsa Naturae Adyta  
penetrare queamus. Quanti in Arte  
Medicâ expectandi progressus tali  
Duce!

Hocce Vobis oblatum Opus summi  
illius Ingenii ne exiguum putetis cona-  
men. Perspicite quām dilucidē, quām  
que ordinate Medicamenta in proprias  
disponat classes, quām aptē illorum  
operationes certis simplicibusque prin-  
cipiis explicet, quām evidentēr usum  
eorum experientiā priūs confirmatum  
ex sanā Theoriā ducat.

Optandum foret à suo Auctore edi-  
tum esse utilissimum illud Opus: elab-  
oratus certè, atque ab errori-  
bus, quos irrepsisse praecaveri vix po-  
tuit, repurgatum prodiisset. Hoc bene-  
ficium à clarissimo Viro cum toto illius  
Discipulorum coetu per integrum de-  
cennium summo expectavimus deside-  
rio; verum incassū: an quia eam,  
quam petivit, perfectionis metam non  
attigisse sibi visum est; atque, ut primi  
Ordinis ingeniis proprium, omnibus  
dum placuit suū Opus, sibi soli dis-  
plicuerit: an potius, rariissimā Aucto-  
ribus cautelā, & continentiā, cogitata

ā iij

PRAEFATIO.

sua lentâ indagine , tardaeque experientiae collatione stabilita priùs voluerit , quam in lucem festinanter proferre ; incertum.

Speramus , immò confidimus , non aegrè laturum publicae studiosum utilitatis Auctorem , quod , tam generali , tamque honesto desiderio ut satisficeret , ipso non consulto , opus suum Typis sit mandatum . Quicquid contingat , id unicè propositum nostrum declaramus ; ut scilicet librum huncce qualemcumque palam exponendo publicum praestemus officium ; verùm praesertim , ut universali & per vulgato plausu atque rogatu ad perfectiorem ejusdem Operis dandam editionem excitetur clarissimus Auctor .

Utinam eodem incitatus stimulo egregios hosce Eruditionis Thesauros de animali Oeconomia , de Praxi , de Chemiâ , deque Physicâ , quos tanto studio , tantoque animi candore cum suis communicat Auditoribus , aliquandò divulget ; hocque , ita dixerim , flaxum , Docentem audiendi delectamentum fixum ac diuturnum redderetur ! Utinam tantum apud magnum Virum valeat de Re medicâ benè merendi cupido .

Q. C. B.

---

## Approbatio Regii Censoris.

**I**llustrissimi Regiorum Sigillorum Custodis jussu, librum, cui titulus est, *Hermani Boerhaave Opera omnia*, accuratè perlegi; eumque dignissimum judicavit, qui typis mandetur. Datum Lu: et. Parisior. die 5. Januar. an. 1722. BUXETTE, avec paraphe.

---

## PRIVILEGE DU ROI.

**L**OUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillijs, Seneschaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT : Notre bien aimé GUILLAUME CAVELIER, fils, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il lui auroit été mis en main un Manuscrit qui a pour titre, *Hermann Boerhaave Opera omnia*, qu'il souhaiteroit faire imprimer & donner au Public, s'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilege sur ce nécessaires. A ces causes, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Presentes de faire imprimer ledit Livre en tels volumes, marge, forme, caractere, conjointement, ou séparemment, & autant de fois que bon lui semblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout nôtre Royaume pendant le temps de neuf années consécutives, à compter du jour de la date desdites Presentes. Faisons défenses à toutes sortes de personnes, de quelle qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de nôtre obéissance ; comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit Livre, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, sous quelque prétexte que ce soit d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction étrangere ou autrement, sans le consentement par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui ; à peine de confiscation des Exemplaires contrefaçts, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre

audit Exposant , &c de tous dépens . dommages & intê-  
rêts ; à la charge que ces Presentes seront enregistrées  
tout au long sur le Registre de la Communauté des Li-  
braires & Imprimeurs de Paris , & ce dans trois mois  
de la date d'icelles ; que l'impression de ce Livre sera  
faite dans notre Royaume & non ailleurs , en bon pa-  
pier , & en beaux caractères , conformément aux Regle-  
mens de la Librairie ; & qu'avant que de l'exposer en  
vente , le Manuscrit ou Imprimé qui aura servi de copie  
à l'impression dudit Livre , sera remis dans le même état  
où l'Approbation y aura été donnée , ès mains de notre  
très cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le  
Sieur de Voyer de Paulmy , Marquis d'Argenson , Grand'-  
Croix , Chevalier & Garde des Sceaux de notre Ordre  
Militaire de S. Louïs , & qu'il en sera remis deux Exem-  
plaires dans notre Bibliothèque publique , une dans celle  
de notre Château du Louvre , & un dans celle de notre  
très cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le  
Sieur de Voyer de Paulmy , Marquis d'Argenson , Grand'-  
Croix , Chancelier & Garde des Sceaux de notre Ordre  
Militaire de S. Louïs ; le tout à peine de nullité des Pre-  
sentes : du contenu desquelles vous mandons & enjoi-  
gnons de faire joüir l'Exposant , ou ses ayans cause , plei-  
nement & paisiblement , sans souffrir qu'il leur soit fait  
aucun trouble ou empêchement . Voulons que la copie  
desdites Presentes qui sera imprimée tout au long au  
commencement ou à la fin dudit Livre , soit tenuë pour  
duëment signifiée , & qu'aux Copies collationnées par  
l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secrétaires , soi-  
soit ajoutée comme à l'Original . Commandons au pre-  
mier Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icel-  
les tous Actes requis & nécessaires , sans demander autre  
permission , & nonobstant Clameur de Haro , Chartre  
Normande , & Lettres à ce contraires ; car tel est notre  
plaisir . Donné à Paris le seizième jour du mois de Fé-  
vrier , l'an de grace mil sept cens vingt , de notre Règne  
le cinquième . PAR L E R O I en son Conseil . Et plus  
bas : COBL ET , avec paraphe .

Registré sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs  
& Libraires de Paris , page 563 . N°. 603 . conformément  
aux Reglemens , & notamment à l'Arrêt du Conseil du  
13. Août 1703 . A Paris le 19. Février 1720 .  
G. MARTIN , Adjoint du Syndic .

# INDEX. CAPITUM.

## PROLEGOMENA.

CAP. I.	D E structurâ corporis sani.	Pag. 1
II.	De statu corporis lassi sive morbos.	3
III.	De fluidis.	5
IV.	De naturâ Solidorum.	6
	Proprietates nervorum.	10
V.	De acribus.	16
VI.	De viscidis.	25
VII.	De naturâ liquidorum nostrorum.	28
VIII.	De vitiis in totâ liquidorum massâ simul spectatâ herentibus,	41
IX.	De gravitate sanguinis.	48
X.	De motu projectili.	50
XI.	De medicamentis.	55
XII.	Classes medicamentorum.	68

## PARS PRIMA,

De medicamentis operantibus in solida.

CAP. I.	D E stimulantibus.	79
	Conditiones in omnibus stimulanti- bus quae sunt.	80

## INDEX.

<i>Causæ stimulationem efficientes quæ sunt.</i>	81
<b>I I.</b> <i>De contrahentibus.</i>	83
<b>I III.</b> <i>De laxantibus.</i>	87
<b>I V.</b> <i>De constipantibus.</i>	89
<b>V.</b> <i>De chirurgicis specificis.</i>	94
<b>V I.</b> <i>De solventibus sive dolorem carentibus.</i>	100

---

## PARS SECUNDA,

De medicamentis quæ in fluida agunt.

<b>CAP. I.</b> <i>D</i> e attenuantibus sive resolventibus.	
	115
<b>I I.</b> <i>De incrassantibus &amp; condensantibus.</i>	117
<b>I III.</b> <i>De acrimoniam inducentibus.</i>	121
<b>I V.</b> <i>De demulcentibus.</i>	126
<b>V.</b> <i>De immurantibus.</i>	134
<b>V I.</b> <i>De diluentibus.</i>	136
<b>V II.</b> <i>De coagulantibus.</i>	138
<b>V VIII.</b> <i>De moventibus.</i>	143
	Classes moventium sunt tres.
<b>I X.</b> <i>De sistentibus.</i>	144
	146

---

## PARS TERTIA,

De medicamentis quæ agunt in solida  
& fluida simul.

<b>CAP. I.</b> <i>D</i> e galactophoris.	
	147
<b>I I.</b> <i>De spermatopais.</i>	150
<b>I III.</b> <i>De Apophlegmatizantibus.</i>	152
<b>I V.</b> <i>De expectorantibus.</i>	162

## I N D E X.

V.	<i>De purgantibus per alvum.</i>	164
V I.	<i>De eccoproticis.</i>	187
V II.	<i>De phlegmagogis.</i>	207
	<i>Corollaria practica.</i>	218
V III	<i>De cholagogis.</i>	222
	<i>Corollaria.</i>	228
I X.	<i>De hydragogis.</i>	227
X.	<i>De primâ classe hydragogorum.</i>	228
X I.	<i>De secundâ hydragogorum classe.</i>	235
X II.	<i>De tertiaty hydragogorum classe.</i>	236
	<i>Corollaria.</i>	237
X III.	<i>De melanagogis.</i>	239
X IV.	<i>De vomitorii.</i>	242
	<i>Medicamenta vomitoria ad 5 classes reduci possunt.</i>	247
	<i>Corollaria theoretica.</i>	251
	<i>Corollaria practica.</i>	251
X V.	<i>De diureticis medicamentis.</i>	255
	<i>Corollaria practica.</i>	262
X VI.	<i>De sudoriferis.</i>	263
	<i>Corollaria practica.</i>	271
X VII.	<i>De diaphoreticis.</i>	276
X VIII.	<i>De uterinis.</i>	279
	<i>Corollaria.</i>	294

## TERTIA CLASSIS MEDICAMENTORUM.

Quæ in solida & fluida simul agunt:

CAP. I.	<b>D</b> E aperientibus.	295
I I.	<i>De discutientibus.</i>	266
III.	<i>De emollientibus.</i>	208
IV.	<i>De astringentibus.</i>	301
V.	<i>De calefacientibus.</i>	304

## INDEX.

VI. De frigefacientibus.	308
VII. De attrahentibus.	312
VIII. De repercutientibus.	314
IX. De maturantibus & suppurantibus.	315
Corollaria.	318

---

## QUARTA CLASSIS

### MEDICAMENTORUM.

Quæ in solida & fluida simul agunt.

CAP. I. DE topicis.	321
II. De cephalicis.	323
III. De ophthalmicis, odontalgicis, otalgicis & stomaticis.	324
IV. De arteriacis.	326
V. De thoracicis.	327
VI. De cardiacis.	329
VII. De carminantibus.	333
VIII. De anthelminticis.	336
IX. De anodynis, Theorematæ.	338
X. De antidotis.	348

Finis Indicis.



# HERMANNI BOERHAAVE TRACTATUS

De viribus Medicamentorum.

## PROLOGOMENA.

### CAPUT I.

*De structura corporis sani.*

1.  Orpora nostra duabus constant partibus, scilicet solidis & fluidis.

2. Solida continent in se fluida, suntque ita inter se unita, ut nulla pars assignari queat, cuius cum reliquis connexio vel immediata vel mediata demonstrari nequeat; vena quippe & vas lymphaticum arteriâ cohærent mediante glandulâ, quæ ab arteria oritur; omnes verò arteriæ Aortæ adnascuntur, quæ

A

2. *De structura corporis sani.*

& ipsa cordi inseritur. Cor autem, nervorum nec non arteriæ ascendentis ope, cerebro unitur, cerebrum interim cerebello adhærescit, illud rursùm medullæ spinali.

3. Omnes corporis canales aliquo-  
modò cum utroque cordis ventriculo  
communicant.

4. Ventriculus cordis sinister com-  
municationem habet cum arteriâ ma-  
gnâ, haecque ita divaricatur & disper-  
gitur, ut nullum corporis punctum pos-  
sit assignari ad quod portio aliqua dictæ  
arteriæ non pertingat, quo fit ut cavitas  
à corde usque ad singula corporis pun-  
cta continuetur.

5. Omne corporis punctum cavum  
liquorem intra se contentum versùs dex-  
trum cordis ventriculum transmittere  
potest, si modò vasa secretoria exci-  
piamus, qualia sunt (*a*) vasa sudorifera  
(*b*) vasa perstillantia (*c*) vasa mucosa  
(*d*) vasa salivosa (*e*) vasa æsophagi,  
ventriculi, intestinorum (*f*) vasa se-  
minalia.

6. Omnes corporis canales certa  
quædam liquida continent, modò benè  
se habeat corpus; cum ergo canales  
inter se communicent, liquida quoque  
inter se communicare necesse est; hinc

*De statu corporis læsi sive morboſi.* 3  
agitatio quæ in una liquidorum parte  
excitatur, reliquis omnibus communica-  
ri potest.

7. Omnia corporis liquida, exceptis  
excrementis, ad cor redeunt.

8. Quamdiū liquida intra canales  
regulariter moventur, tamdiū sanus  
est homo; quandocunque verò motus  
ille irregularis est, vel in aliquâ parte  
cessat, ægrotat homo; si autem om-  
nino & omnibus in partibus cessat mo-  
tus, mors sequitur.

9. Sanitas itaque consistit in æqua-  
bili motu fluidorum simul & æquabili  
resistentia solidorum in omni parte.  
Fluida dicuntur æquabiliter moveri,  
cum majorem impetum non faciant in  
unam quam in alteram partem; resi-  
stantia solidorum æquabilis dicitur cum  
æqualiter premant liquida in omni par-  
te, adeò ut indè sit nullus doloris sen-  
sus.

---

## CAPUT II.

*De statu corporis læsi sive morboſi.*

1. **E**X dictis patet morbosum esse il-  
lum sive solidorum sive fluido-  
rum statum, in quo quacunque de cau-

A ij

4. *De statu corporis ləsi sive morboſi.*  
ſi æquabilis ille motus quolibet in lo-  
co turbatur , impeditur vel ſiſtitur ;  
mors verò dicitur cum motus ille ubi-  
que cefſat.

2. Mederi ergo eſt tollere de corpo-  
re morbum, i. e. cauſas æquabilem mo-  
tu mive transfluxum impedientes ſe-  
movere & expellere.

3. Medicamenta voçantur instru-  
menta illa mechanica, ope quorum ar-  
tifex potest cauſas tollere ablati æqui-  
librii , idemque reſtituere.

4. Medicamentum ergo ſupponit  
fluxum humorum seu liquidorum, adeo-  
que agit ſolummodò in corpore vivente  
non verò defuncto fluxu illo privato.

5. Cum medicamentum ſupponit  
corporis vitam , quæ pendet à trajectu  
fluidorum per ſolida, patet id agere in  
liquida , ſive ſolida adhuc mota.

6. Hinc medicamentum non agit in  
cadaver.

7. Omne medicamentum effectus  
ſuos mechanicè producit, vi ſcilicet ſoli-  
ditatis , molis , figuræ , motusque par-  
ticularum ſuarum.

8. Actionis mechanicae effectus eſt  
mutatio figuræ , motus , molisque cor-  
poris.

9. Hinc in morbis curandis non im-

mediate, agunt instrumenta illa, scilicet medicamenta, sed mediate.

10. In quantum actionis effectus vel bonus vel malus omnino pendet à mole, motu, & figurâ particularum agentium, à solidis solummodo deducenda erit æquilibrii antè dicti destrucciónis.

¶ 11. Triplici modo destruitur fluxus æquabilitas (*a*) liquidi oblatione (*b*) solidorum superficie. liquida internè comprimente (*c*) ex vi contractili ipsius solidi.

---

C A P U T III.

1. **F**luida constant moleculis minutissimis quæ tactui levissimo cedunt, & in se invicem arietant.

2. Cum liquor nullus extravasatus reperiatur in nostra machina, necesse est ut omnis liquidorum mutatio in vasis fiat, sive solidis cavis, idque triplici modo (1) intestino motu fluidorum (2) à motu extrinsecus communicato, sive à lateribus vasorum (3) à nova liquidi admistione.

A iiij

## CAPUT IV.

*De natura Solidorum.*

1. **S**olidum sunt duplia, vel cava, vel cavitate destituta; cava vocantur vasa.

2. Nullum est in corpore punctum quod non sit vasculare, prout experimentis probari potest. (a) Nulla enim corporis pars est, cuius ex vulnere quantumvis minato, quale infligi solet ab aciculis exilibus, muscarumque rostris, non effluxurus sit liquor (b) Dein docent microscopia pustulas illas fluido turgentem, quae ex cantharidum applicatione in qualibet corporis parte solent excitari, nil aliud esse quam congeriem plurimorum exiguorum vasorum in unum tunc temporis exeuntium (c) Patet quoque ex perspiratione Sanguinaria, quae licet substilis adeo sit ut oculum microscopio armatum fugiat, ope tamen speculi humido perspirabili madescens observari potest.

3. Imò ipsa ossa constant ex congerie plurimorum vasculorum liquido repletorum, quod ex arteriis minutis in illa deponitur: si enim cera in arteriam

subclaviam injiciatur, ossa brachii statim rubescunt; cera quippe injecta sanguinem magnâ quantitate propellit in periosteum, indeque in ossium superficiem quæ cum sanguine turgeat, necessariò rubescit: simili ritu compertum est albumen oculi vasculare & sanguiferum esse; microscopii quoque ope eadem est detecta structura in membranis tenuissimis, unguium & cornuum radiculis, & in partibus omnibus minutis: quod si ita se habeat in partibus à corde remotissimis, quanto magis expectandum est in iis quæ proximè adjacent.

4. Omne vas habet cavitatem & parietes quæ conflantur ex minoribus, & sic deinceps, donec perveniat ad vas minima & ultima, quorum cavitates adeò exiles sunt, ut liquidorum ingressum non admittant, & reverà pro nullis haberi queant; confirmatur hoc (1) experimentis Ruyshii, si enim cera rubra magno impetu injiciatur arteriæ, ejus superficies undique rubescet. (2) In animalibus laqueo strangulatis, sanguis qui per arterias carotides fluit, impedito per venas transitu retrogreditur inque vasis minimis stagnans eadem inflat, & rubedine inficit. (3) Idem

A iiiij

8      *De natura Solidorum.*

apparebit in arteriâ viventis animalis  
strictè ligatâ.

5. Miniima vasa determinatam ha-  
bent magnitudinem , alias in infinitum  
dividi possent , adeòque & omnia cor-  
poris nostri & nosmetipsos determinant.

6. Determinatio vasculorum oritur  
à continuâ aëris pressione in nostram  
machinam , si enim excedat vim resis-  
tentiae quam habet fluidum contentum ,  
statim collabuntur vasorum latera; unde  
sequitur soliditas : sic vasa quædam ma-  
jora , scilicet vasa umbilicalia , foramen  
ovale &c. in stamina paucis post partum  
diebus facescunt ; sic ungues & cornu  
oriuntur ex arteriolarum extremitati-  
bus consolidatis ; callus quoque ortum  
suum plurimorum vasorum compa-  
ctio[n]i debet , quod si in majoribus va-  
s[is] hoc fieri solet , quantò faciliùs id  
minimis accidere potest.

7. Latera ultima , i. e. latera ulti-  
ma vasculorum omnium canalium , sive  
arteriæ sint , sive venæ , sive vasa lym-  
phatica , sive ductus adiposi , sive quo-  
cunque vasorum nomine veniunt , sunt  
nervosa , & nervis similia , & in iis nu-  
tritio vera solidorum fit.

8. Hinc & ultima solidorum om-  
nium in nostro corpore stamina sunt

merè nervosa sive conflata ex solidis quæ ex compactis nervis , vel consolidatis hisce tubulis ( exceptis illis partibus quæ ex coagulatis liquidis concrèvère, quales sunt concretiones polyposæ , lapideæ &c. ) constant, & hoc satis probari potest. Detegente enim Malpighio, primum corporis nostri principium est tantum vermis , qui in utero primùm constituit medullam spinalēm : hinc accrescunt bullæ quinque limpidæ , quæ fiunt lobi cerebri , quibus accrescunt oculorum globi ; deinde ex medio illius carinæ emergit tubus incurvus , qui postea quatuor acquirit inæqualitates , quæ sensim incurvantur , & fiunt cor ; sensim dein nascuntur integumenta thoracis & ossium; deinceps deducuntur hepar , lien &c. Tandemque oriuntur stamina mucosa totum corpus involventia. Unde patet omnia stamina solida procedere ex spinali medullâ , etsi moles cerebri & medullæ spinalis conferatur cum mole reliquo- rum omnium , solidorum horum moles non major apparebit , quam ut ori- ri possit à cerebro & spinali medullâ . Porrò cum omnia sint vasculosa , omnia vasa oriuntur à tendinibus cordis , hi ex netveis filamentis constant , om-

A v

10 *Proprietates Nervorum.*

nia quòque integramenta glandularum, viscerumque ex integumentis vasorum sanguineorum orientur, ossa fiant ex membranis sensim in cartilagines, inde in osseam substantiam indurescentibus, membrana iterum ex adunatis vasis minimis, quæ ex nervis; liquidò constat igitur quamlibet totius corporis nostri partem esse nervosam, unde sequuntur duo corollaria.

1. Omne corpus agit in solidas corporis nostri partes, illud itaque impinget vel in tubos nerveos, vel in partes ex nervis consolidatis concretas.

2. Omnis ergo vis medicamentorum quatenus agit in solida, agit quatenus applicatur ad nervos, sive ad ea quæ ex nervis coaluere.

*Proprietates nervorum.*

*Theorematum.*

1. IN vasis minimis proportio solidi ad fluidum contentum è magis increbit, quò vasa tenuiora fiunt; hinc partes exteriores magis solidæ sunt, quoniam copiosissimis & tenuissimis constant vasis.

2. Quò minora in corpore nostro sunt vasa, è puncta contactū inter latera vasorum, & superficiem fluido-


rum præterlabentium multiplicantur magis; in minimis enim cujuslibet ferè globuli superficies impingit in latera vasorum. Coroll. Hinc in maximis vasis minor est incursus & vice-versâ.

3. Quò vasa minora evadunt; eò magis vis solidi in fluidum increscit; quò verò majora sunt, eò magis diminuitur illa vis ( per vim intelligimus facultatem communicandi motum ) Demonstratio sic se habet: constat ex mechanicis quod cæteris paribus vis solidæ cujuslibet molis seu massæ ad vim alterius cujuslibet massæ solidæ se habeat ut moles ad molem; porrò sicut vis, ita quòque resistentia unius corporis se habet ad resistentiam alterius ut moles ad molem, cæteris paribus: cum ergo proportio solidi ad fluidum contentum eò magis increscat, quò minora fiant vasa ( ut in Theor. ) hujus Theor. veritas in liquido est.

4. Vis solidi ultimi in liquidum contentum non aliud est quam nîsus iste, quo sese coarctare conatur, per istum enim nîsum liquidi motus promovetur, quò enim magis vasa elongantur eò magis vim suam in fluida exerunt, idque hac de causa quod quò magis elongantur, eò magis quòque coarctantur,

Avj

quod sic demonstratur: Sint A G & C H lineæ duæ parallelæ in infinitum protensa, sintque A C B D sibi invicem parallelæ, item C E D F; tūm



ex punto D ad E ducatur linea D E. Patet ex Euclide quod parallelogram. A B C D æquale sit parallelogram. C D E F; item quod triangulum B C D æquale sit triangulo C D E; latera vero parallelogram: A B C D & latera trianguli C D E minora quam latera D B C. Idem quoque demonstratur de cylindris & conis, quæ generantur circumvolvendo ista plana circà latera homogenea; cum ergo omnia corporis vasæ sint vel cylindrica vel conica, liquidò constat ista vasæ eò magis coarctari, quò magis elongantur; omnis ergo vis minimorum liquidorum in solidâ sua pendet à vi, quæ vasæ ista seu solidâ coarctat.

5. Omnia vasorum majorum vis erit ex aggregata minimorum vi, omnis enim arteria viam habet à lateribus

suis quæ composita sunt ex minimis vasis.

6. Omnis nutritio sive restitutio perditi, omnis accretio seu augmentatio fibræ solidæ sit solummodo in minimis vasis nervosis, non in majoribus; quoniam augmentatio majorum omnino pendet ab extensione minimorum lateralium, inde sequitur medicamenta omnia, qualiacunque sint sive replentia, sive evacuantia, sive alterantia in partes istas minimas solummodo agere.

7. Omnis mutatio fluidorum sit in vasis minimis, vique minimorum vasorum debetur; aliquatenus quoque pendet à natura ipsorum liquidorum.

8. In omnibus lateribus canalium flexibilium hæret vis, quâ partes ad se mutuò accedere tendunt, quò breviores fiant, eaque vis in omni fibræ puncto reperitur.

9. Illa vis compescitur & sustinetur à punctis quibus applicatur fibra, nempe à liquido distendente.

10. Vis hæc verè & physicè agit eō tempore, quo quiescere videtur fibra v.g. In figura 1. sit A punctum quoddam fixum, cui suspensa hæreat chorda musica A B, sitque D pondus chordæ appensum, eamque plurimum disten-

dens : In puncto C applicetur aliud pondus leve eâ conditione ut vis chordæ superet vim ponderis hujus , ita ut



Fig. 1.




Fig. 2.

ab eo non omnino , aut saltem quam minime inflectatur : his positis absindatur chorda inter puncta B & C cultro acutissimo , ita ut ab istu motu nullus chordæ imprimatur , pars superior A C sepe statim contrahet , & pondus E aliquantulum elevabit : patet ergo quod chorda ante divisionem vim suam contractivam exercet , licet propter pondus appensum semet actu contrahere non potuerit. In fig. 2. sint A B duo fixa puncta , inter quæ chorda sit summopere tensa , chordæ huic ad puncta C D affigantur duo fila C F & D E , quorum extremitatibus annexantur pondera F & E , quæ à mensâ G sustentan-

tur ; sintque I H duæ trochleæ, quas chorda A B levissimè perstringat ; his positis discindatur chorda in puncto I , tum pars chordæ A C contrahens sese pondus F supra trochleam K elevabit. Eadem est in corpore nostro fibrarum contractilitas , prout in fibrâ transversim sectâ videre est , sese etenim versus puncta sua fixa contrahit , indèque est quod vulnera corpori inficta hiare solent.

11. Vis illa, quâ quælibet corporis pars sese contrahere conatur, æquilibratur ab illâ vi antagonisticâ ; habent enim omnes partes illam vim contractilem , cùmque versus puncta opposita trahunt, sunt sibi invicem antagonistæ.

12. Virtutis hujus contractilis æquilibrium in corpore nostro pendet ab æquali influxu liquidi , ejusque impulsu in omnes partes, ita ut eas æquabiliter distendat.

13. Quicquid ergo mutat momentum influxûs liquidi alicubi, ita ut non æqualiter fluat in omnes canales ; & quicquid tollit æquilibrium, tollit in toto corpore : unde duæ sunt æquilibrii dicti causæ scilicet, canalium resistentia fluidi influxus.

14. Simul ac in ali qua corporis par-

te tollitur æquilibrium, mutationem quòque subeunt primò in illo loco, dein per totum corpus, motus oscillatori, sive motus illi qui fiunt dum canales aliqui amplius solito extensi sese contrahunt, hocque pendet à prævalentiâ resistentiæ supra vim influxûs liquidi; & destruitur, quandocunque vim resistentiæ superet vis influxûs? Corol. Ergo potest omnium virium summa derivari in unam partem, adeòque in ea parte motum quendam novum apparere posse constat.

---


## C A P U T V.

*De Acribus.*

1. **O** Scillatorii in corpore motûs æquilibrium nunquam magis tollitur, quam quando acre quodpiam se insinuat, intra cavum minimi vasculi, ejusque lateribus inhæret, fixumque manet.

2. Acria, prout docent microscopia, constant ex plurimis stylis in acumen desinentibus, sive ex iisdem in aciem dispositis instar cultri, aut gladii, unde in parvis punctis resistentiæ rodere, pungere, scindere, instar cunei, possunt.

3. Si acre infixum sit lateri alicujus vasculi, tota illa vis influentis liquidi, quæ in varia lateris puncta agere solebat, jam in punctum illud determinatur, in quo infixum est acre: hincque convulsio illius canalis: sicque demonstratur, A B C est vasculi alicujus portio: in quâ lineæ descriptæ liquidi per cana-



lem fluxum determinant; linea ex D ducta impingit in E; quæ ex F ducitur, impingit in G, & sic porrò, & hæ lineæ omnes hic ponuntur, tamquam liquida æquali vi influentia & impellen-tia puncta, in quæ impingunt, eaque æqualiter distendentia; cumque cana-lis sit contractilis, ista puncta sese æqua-liter contrahunt, & impulsui resistunt, sicque conservatur motus oscillatorius, quod si supponamus corpus aliquid acre, uti H I, vasculi lateri in punto I infigi, nequaquam ab influente liquido remo-veri poterit ex punto illo, quoniam quantum premitur à parte B H, tan-tum reprimitur à parte H C: hinc om-ne, quod inter B H continetur, fluidum

ruet in superficiem H E, quæ sustinebit oinnem illam viam, quæ à totâ longitudine ab I ad K, ejusque omnibus punctis sustineri debuit, tota verò vis quæ superficie H I imprimitur, communicatur puncto I quod, cum canalis flexilis sit, cedere debet, ut potè plus pressum quam reliqua ejusdem lateris puncta; cumque canalis elasticus sit, quò plus premitur, eò majori cum vi se restituit; unde fit ut motus oscillatorii æquilibrium destruatur, vasculumque in motus convulsivos agatur, corpora quæ hunc effectum producere possunt, sunt præcipue sales acres, volatiles & fixi, & metallorum particulæ corrosivæ, quæ laedunt propter figuram, quam habent ejusmodi IH & non quatenus fluida, sed quatenus solida afficiunt.

Ex hac demonstratione hæ sequuntur veritates, nempè.

1. Quò particula infixa rigidior sive minus flexilis est, & quò altius infigitur, eò pejor & vehementior futurus est effectus: indèque est quod metallorum particulæ in figuram acutam redactæ, ut in mercur. sublim. corrosivo, & præcipitato rubro &c. in corporibus nostris effectus multò vehementiores obtinent, quam particulæ quæcunque ex

vegetabilibus aut animalibus depropria-  
tate; sunt enim hisce multò rigidiores &  
propter majorem gravitatem altius va-  
forum lateribus infiguntur.

2. Quò gravior est particula, eò  
vehementior est effectus ejus, diutiùs  
que permanebit propter rationem mo-  
dò allatam.


3. Cæteris paribus, quò vis fluidi in  
parte B H major est, eò est vehementior  
particulæ infixæ effectus, eoque altius  
infigitur; undè sequitur quod vis cordis  
plurimùm facit ad acre hoc excitandu-  
m in motum stimulantem.

4. Ubiunque humorum in vasa in-  
fluxus cessat, ibi quoque perit tum me-  
dicamentorum tum venenorū vis; in-  
de est quod causticum ægris ad extremi-  
tatem redactis & jam jam morituris, in  
quibus, scilicet humorum circulationem  
nisi in partibus cordi vicinis fiat, admo-  
tum vix aut ne vix quidem agit, cum  
idem corpori sano ac vegeto applicatum  
intra bihorium operetur.

5. In cadavere ergo ubi omnia quies-  
cunt, particula infixæ nullum sortitur  
effectum.

6. Liquida in vasis cylindricis æquè  
ac in conicis per lineas parallelas ferun-  
tur, ideoque particula acris infixæ eun-


dem in cylindricis ac in conicis habet effectum, sed mitiorem. Vis enim liquidi particulae infixæ ad F, eādem paululūm versūs G pressā ( quod facile fieri potest, quoniam ab altera parte non resistunt liquida ut in conicis ) transiunt versus BD, ubi æquale priori AC spatiū inveniunt; in conicis non item, nam in fig. 2. fluidum, quod ex parte DC in particulam EF puncto F infixam, incurrit, post transitum inter GE non invenit spatiū æquè capax ac



illud, ex quo fluebat, adeoque hīc major nīlus & pressio liquidi inter fluendum versus B, quam fuerat in cylindro. Ponamus in figura 3. contrario & inverso motu fluere liquida in vase conico ABCD, quod hīc tanquam vena considerabitur, liquor fluens ex AB non,

nisi paucis particulis, impinget in partculam E F puncto F infixam, quam quidem versus G aliquantulum impellit, liquido ab ea parte non resistente, & facile satis pertransibit, quoniam spatum H E æquè ferè capax est ac A B. Vis itaque impressa particulæ à fluido incurrente in hoc casu ferè nulla est, unde acria in solida nullibi minùs agunt quam cum cavo applicantur, ex angusto in latum abeunti; talia verò sunt vasa venosa omnia.

7. Si acre lateri vasis externè hæreat, idem secuturus est effectus, ac si internè adhæresceret; punctum enim à liquido influente & canalem A B æquabiliter premente necessariò debet distendi, ideoque particulam acrem adhærentem D premit, & contra eam nititur; cùm verò hæc ob pressionem vel atmosphæræ vel alterius causæ cedere nequeat, necesse est ut vasis latus penetret, motumque fluidorum æquabilem impedit;



tali modo agunt emplastra, omniaque stimulantia externè applicata; hinc in-

ferimus medicamentorum actionem consistere in remotione impedimenti motus æquilibrii fluidorum.

8. A prædictâ positione particulæ solæ, reliquis omnibus in statu naturali manentibus, alterari vel perturbari possunt secretiones, dilatari canales, vis concussiva laterum augeri, motusque oscillatorius destrui.

9. Secretio est derivatio & separatio unius liquidi ab alio; omne liquidum constat ex particulis minutis solidis, & mixta est liquidorum moles quam maximè, ut in Chemia patet; confundi enim possunt variæ solidorum species, quæ mixtæ liquidum constituant, & ex iis rursus possunt fieri solidæ. Ad secretionem tria sunt necessaria 1°. applicatio liquidi ad canarium orificio 2°. dictorum orificiorum determinata magnitudo 3°. vis sufficiens ad liquidum intra canales impellendum; jam si particula acris infixa efficeret, ut canales v. gr. renales plus solito dilatentur aut angustiores fiant, particula fluidorum majores aut minores solito pertransibunt; hinc urinæ excretæ varatio, quandoque enim limpida, quandoque crassa appareat; si verò particula acris eousque prematur, donec canalis

latus perforet , vulnus canali infligere-  
tur particulam acrem magnitudine  
æquans, quod per contractionem fibra-  
rum adeò patulum fieri potest , ut flu-  
dum in canali contentum per idem exi-  
re queat ; hincque stillicidia , saliva-  
tiones , aliæque quam plurimæ evacua-  
tiones non naturales in corporibus no-  
stris conveniunt,nempè ubi vulnus vasis  
satis magnis infligitur : quod si foramen  
in vasis aliquibus valdè minutis ( qualia  
funt pulmonalia nonnulla ) fuerit, ex  
tali vulnere liquidum solummodo te-  
nuissimum effluet , quod colore rubro  
minimè donatur , quoniam ruptura sive  
apertura raro adeò ampla sit , ut trans-  
mittere possit globulos appellantes, &  
supponimus ejusmodi esse acria , & ne-  
quaquam globulos istos queant dissol-  
vere.

10. Hinc tumor & inflammatio ori-  
ri possunt in loco & partibus vicinis.  
Liquidum enim à corde pressum & in  
latera vasis impactum omnes particulas  
suas, quæ aperturæ respondent, per ean-  
dem urgebit , hæque partes vicinas pre-  
mentes tumorem simul & inflammatio-  
nem in iisdem excitabunt , sic in mor-  
bis plurimis observamus 1º. dolorem  
à punctura particularum acrum oriri ;

*De Acribus.*

24

dolor enim nil aliud est quam separatio partium fibrillæ nervosæ vi acris particulae perpetrata, hancque separationem statim sequitur tumor, quo exorto, sive, quod idem est, effluxo liquido, cessat dolor, ut in podagra, odontalgia &c. observare licet.

11. Liquida quæ ibi hærent & stagnant, suam sequuntur naturam h. e. inter stagnandum putrescunt, acria fiunt & alcalinum volatile præbent: hæcque acrimonia liquidorum apta illa reddit ad vasa nostra dissolvenda.

Coroll. Ex dictis patet medicamenta acria effectus suos in corporibus nostris producere partim vi propriæ substantiæ & figuræ, partimque vi motus fluidorum arietantium; quiescente quippe liquido nullus sequitur effectus, utcumque aptum sit medicamentum ad effectum producendum, quod hoc exemplo illustratur: Scalpellum digito applicatum, licet satis aptum sit ad secundum, nil tamen agit nisi impellatur vel ad agendum excitetur.




CAPUT

## C A P U T VI.

*De Viscidis.*

1. **V**iscidum est quod vasis lateribus tenaciter adhaerescit ita tamen, ut propter latam suam superficiem penetrare nequeat; si enim superficie esset adeo parvâ, ut vasis latera perforaret, inter acria esset numerandum.

2. Lateribus vasorum dupliciter adhaerere potest viscidum, 1º. vel latera tangit non nisi ex unâ parte, ut ad A. 2º. vel latera undique pertingit, ut ad B C. Hujus particulæ effectus in utroque casu in figurâ oppositâ demonstratur: sit A D particula quæ-



dam viscida lateri vasis adeo tenaciter adhaerens ad A, ut à liquido ponè urgente & secundùm lineas E F & G H incurrente indè moveri nequeat, sustinebit omnem illam liquidi influentis vim, quæ sustinenda erat à parte lateris inter A H comprehensâ, adeoque pars lateris, cui particula insidet, recedet


B

versùs exteriora ut potè magis pressa  
quàm reliquæ partes ejusdem lateris, &  
quò plus recedit eò majori vi se resti-  
tuet; undè tollitur harmonia sive æqui-  
librium motùs oscillatorii in illo vase:  
hinc oritur dolor obtusus qui in om-  
nibus ferè morbis viscidis sentitur, scil:  
à pressione ortum ducens. Supponamus  
jam in loco secundo viscidam particu-  
lam ita adhærere ut lateris vasa per-  
tingat, ut ad B C. Ejus affectus con-  
siderari possunt vel respectu ipsius va-  
sis, cui inhæret, vel respectu vasorum  
lateralium; respectu prioris, ejus effec-  
tus erit totalis obstruētio istius vascu-  
li, simul & laterum distensio; parti-  
cula quippè à fluido retrò urgente  
eōusque propelletur donec fiat æqui-  
librium inter vim liquidi & vim resis-  
tentiae, quam habent vasculi latera,  
quo semel effecto particula manebit  
immota vasculi cavitatem penitus ob-  
turans, simul & illius latera distendens:  
quòd autem æquilibrium tandem ali-  
quando sit futurum inter vim fluidi &  
resistentiam laterum, indè patet, quòd  
vis fluidi minuatur, resistentia verò au-  
geatur. Et fluidi vim minui ex eo con-  
stat quòdquò longius à corde recedit,  
eò tardius moveatur; laterum verò,

xistentiam augeri manifestum facit cava-  
vitas vasculi in progressu suo magis  
magisque diminuta, sive distantia la-  
terum semper minor facta; vasculi enim  
conici portio angustior non potest ad  
eandem amplitudinem extendi ac ma-  
jor portio, nisi vis major adhibeatur.

3. Hactenus de effectu, quem ha-  
bet particula viscida in ipsum vas, cui  
impacta est; videamus jam quid fac-  
tura sit respectu vasculorum lateralium.  
Particula viscida A B vasculo impacta,  
idemque obturans impedit, quo minus  
fluidum per illud transeat, quapropter  
fluidum vergit versus canalem latera-  
lem C D; illum  
autem nequa-  
quam ingredi po-  
test quin simili  
dilatet; ex illius autem dilatatione au-  
getur vis laterum contractilis, & con-  
sequenter motus oscillatorius vehemen-  
tior evadit; indèque fluidi cursus ve-  
locior, & hinc est quod in frebibus fri-  
gus statim excipiat calor.

4. Ex dictis patet maximas mutatio-  
nes in corpore oriri à fluidis quatenus  
in solida impingant, eaque destruant,  
non autem in solidis tanquam causâ  
primâ fluida afficiente,



Bij

## C A P U T VII.

*De Natura Liquidorum nostrorum.*

**O**MNES qui sunt in corpore nostro humores, originem ducunt à sanguine; antequam naturam itaque illorum intelligamus, hujusce natura prius est investiganda; sensu percipimus sanguinem in omnibus animalibus, hominibus, quadrupedibus, piscibus, volatilibus, reptilibus eundem esse, & ex tribus hisce constare partibus scilicet,

1°. ex aquâ ferè insipidâ & aliquantulum odorâ; quæ igni exposita in vapores abit; undè sequitur cum non esse spirituo-salinum, ut nonnulli volunt Chemici, spiritus enim olea tantum, non sales, dissolvit; præterea spiritus omnes producuntur vel fermentatione, ut inflammabiles, vel putrefactione, ut macri sive salini; deinde aqua hæc sanguinea, uti & omnis communis, vi frigoris in glaciem concrescit, & calore admoto in aquam iterum resolvitur; spiritus verò ym frigoris maximè intensi illudunt.

2. Ex eâ parte, quæ serum sanguinis appellatur, est liquor qui in naturali suo statu pellucet, turbatus verò

flavescit, &c: vi frigoris non facilè congelatur , calori verò expositus ovi albuminis instar , indurescit.

3. Ex eâ parte , quæ toti rubedine conciliat , quæque caloris non minus quam frigoris vi in massam rubram , firmam , tenacem , insulsam dictam reducitur ; si sanguis è corpore extractus in vase quolibet per aliquod temporis spatum quiescere permittatur , avolat primò pars aquosa , tanquam subtilissima , deinde separatur serum , quod quò copiosius fit , eò minor evadit insula , & quidem post 3 vel 4 dies pars rubicunda penitus evanescit , in serum scilicet conversa : & hoc serum , si sanguis ex corporibus morbosis de promptus fuerit , quandòque nigro , flavo , aliovè colore non naturali donatur. Hæc nudo oculo observantur , microscopiorum autem ope ulterius detectum est sanguinem constare particulis sphæricis fluido limpido innatantibus , quæ in vasis majoribus figuram suam sphæricam retinent & rubræ apparent , sed versùs angustias vasorum ovales fiunt , atque à rubidine ad flavescientiam deflectunt ; præterea compertum est unamquamque sphætulam constare ex aliis 6 minoribus , & ha-

rum quamlibet ex aliis 6. & sic deinceps , quibus ab invicem separatis statim evanescit color earum ruber. Ista separatio fit in minimis solùmmodo vasis , & in hunc finem institui videatur scilicet , ut succus nervosus & lympha subtilissima exinde fiant. Hæc sphærularum separatio , quam rubedinis evanescentia sequitur , per medicamenta vehementia procurari potest.

Ex dictis sequitur calorem non esse causam conservantem æquabilem fluorem sanguinis ; calor quippe sanguinem extravasatum inspissat : præterea manet fluidus in piscibus , quorum corpora sunt frigida , idem verò extravasatus grumescit æquè ac humanus. Causa fluorem sanguinis conservans non est aliquid sanguini proprium , si enim ex natura sanguinis oriretur , ejus fluiditas tūm maxima esset , ubi maxima est sanguinis copia , scilicet in vasis majoribus , sed in ipsis maximæ coagulationes fieri solent , ut liquet in cadaverum venis. Actio itaque solidorum , in quibus fluit sanguis , est causa fluoris ejusdem , cessante etenim solidorum actione , cessat quoque sanguinis motus : & hoc sequenti experimento confirmatur , si tempore bru-

finali ranæ torpidæ aut vespertilionis arteriolæ, adhibito microscopio, conspiciantur, sanguinis in iisdem in grumos planè concretus apparebit, et si animal igni admoveatur quo calefiat, tamen sanguis ille grumescens minimè resolvetur, nec priùs movebitur quam corse contrahere inceperit: eo autem moto, movebitur etiam sanguis, & tandem post varios cordis ictus fluiditatem pristinam recuperabit, *vide Lewenhoekium.* Sanguinis proprietates sunt vel generales, quæ scil: aliis liquidis competunt, vel speciales. Dotes sunt generales, 1. quod (ut omne liquidum) potius patiatur quasdam partes à se avelli quam totam massam moveri.

2. Quod conditiones illæ adsunt, quæ ad fluorem necessariae sunt, scil: 1. Tenuitas maxima partium relativè ad nostros sensus h. e. habere partes maximè exiles, ut earum una aliqua singularis tactum nostrum, visumque fugiat. 2. Cohæsio inter partes tam levis, ut facilimè separari possit. 3. Omnium partium æqualis gravitas. 4. Motus projectilis, quo fluidum à latere premente versùs aliquod punctum defertur.

Liquida omnia in corpore nostro circulantia è corde proveniunt, in quo

sunt multò magis spirituosa & aquosa  
quam in reliquis vasis ; ex sanguinis  
enim è corde immediate deprompti  
z x plūs quām z v aquæ simplicis  
separari possunt ; undè constat sanguini-  
nem maximā ex parte ex aquâ com-  
poni. Hæc pars aquosa mutationem  
patitur à z causis profluentem, scilicet, à  
salibus, à parte serosâ, à parte rubi-  
cundâ. Aquæ particularum ultimarum  
& minimarum moles determinari ne-  
quit. Sunt enim æquè pellucidæ ac  
aer, ideoque visum fugiunt microscopi-  
orum, adeoque exiles sunt, ut per  
meatus plantarum nullo modo visibi-  
les transeant, imò machina Boyleana  
docet eas transire posse per poros ipsi  
aeri impervios : undè inferimus ma-  
ximam sanguinis partem ob fluidita-  
tem & exilitatem ad motum aptissi-  
mam esse. Gravitas aquæ respectu aeris  
est ut 1000 circiter ad 1, sed prius  
quam ejus proprias facultates expli-  
cemus, exponendæ sunt proprietates  
liquidis peculiares, hæque sequenti-  
bus capitibus 4 comprehenduntur, vel  
potius ex iisdem pendent & inferun-  
tur. (1) Cuilibet particulæ fluidi nostri  
sua propria & determinata est moles,  
figura & soliditas. (2) Cuilibet parti-

culæ sua est vis determinata , sive momentum , quo suæ ipsius ab aliis , quibus adhæret particulis , separationi renititur , & in concretionem tendit . (3) Cuilibet particulæ sua est specifica gravitas . (4) In liquidis nostris varii sunt gradus motus projectilis , quo fluere urgeantur per rectam lineam . Respectu 4 prædictorum variis modis fluidorum nostrorum particulæ peccare possunt , 1<sup>o</sup>. Respectu molis , idque dupliciter ; possunt enim vel nimis magnæ , vel nimis tenues esse , itaque medicamenta , quæ in utroque hoc sanguinis statu convenient , sunt resolventia & coagulanta . Si corpus aliquod sanum , morbosum evadat ex eo quod sanguinis particulæ nimis crassæ sunt , causa morbum producens necessariò erit interna , non verò externa ; quicquid enim cor ingreditur ex venis ibi deponitur , quod egreditur , exit per arterias ; quicquid autem venas intrat , vel ex vasis lacteis , vel lymphaticis , vel vasis absorbentibus profluit , sed oscula vasorum istorum minus patula sunt quam confinia arteriæ & venæ , sive plexus reticularis , per quem sanguis transit , ex arteriis in venas , ut docet microscopium , idque particulæ per vasorum lacteo-

Bv.

rum & absorbentium oscula in venas,  
& inde in cor delatae adeò exiles sunt ut  
mole suâ sanguinis fluiditatem impedi-  
re nequeant ; & quidem observavit  
Leevvenhoek chyli particulas , ut &  
lymphæ , multò minores esse partibus  
sanguinis rubicundis , hoc ideo respe-  
ctu nullus ferè cibus corpori sano no-  
xius esse potest ; cum particulæ nimis  
crassæ vasa lactea & absorbentia nequa-  
quam ingredi possint , ideoque vitium  
hoc ex causâ est merè internâ . Duo  
sunt particularum nimis auctarum ef-  
fectus , scil : ( 1 ) circulatio liquidorum  
impedita ( 2 ) humorum , qui secerni  
debuere , secretio destructa ; cum enim  
vasa ex arteriis oriantur dupliciter , scil :  
vel ortu directo , ut venæ , vel obliquo  
seu laterali , ut glandulæ , sive vasa  
secretoria , quæ arteriis & venis sunt  
minora ; si particulæ sanguinis solito-  
fiant crassiores , eæ quæ secerni debent ,  
orificia glandularum nequaquam ingre-  
di possunt , sed per rectum tramitem  
in venas transibunt , sicque petit se-  
cretio , vasaque secretoria ob defectum  
liquidi distendentis collabuntur ; quod  
si tanta sit particularum crassities , ut  
etiam venas intrare nequeant , impedi-  
tur circulatio ; undè variii morbi , tan-

demque mors ipsa ; omne ergo medicamentum quod ad molem particulatum auctam sanandam adhibet , tale esse debet , ut sanguinis moleculas in arteriolis juxta vasa secretoria dividere possit. Quapropter aut nulla , aut efficacissima sunt mercurialia & salia globulos sanguinis minuentia. Morbi , qui ex hoc vitio oriuntur , præcipui sunt hydrops , omnesque morbi inflammatorii.

Particulae sanguinis nimis imminuidicuntur , cum ad tantam exiguitatem rediguntur , ut vitæ ac sanitati tuendis prorsus impares sint. Hujus vitii causæ sunt 2 , una nempè externa , altera interna , quæ potest esse liquidum quoddam nimis dissolvens. Ejus effectus sunt duo , scil: acceleratio circulationis , & vasorum secretiorum arescentia. 1<sup>o</sup>. Enim sanguis nimis , quoad particularum suarum molem , imminutus facilius multò ex arteriolis in venas quam in vasa lateralia transire potest , ac proindè uberiori copiâ jam semet in easdem conferet : exindè autem magis dilatantur venæ , & quo magis dilatantur , eò vehementius se contrahunt. Unde sequuntur circulationis acceleratio , major partium attritus & calor , san-

B vij

guinis subtilisatio & eruptio è vasis suis. 2<sup>o</sup>. Cùm in hoc sanguinis statu nullæ , aut saltem paucissimæ particulae , vasa lateralia ingrediantur , illa non amplius extenduntur , sed exsican- tur , coalescunt , tandemque stamina fiunt , unde sequuntur phthisis , macies , & varii morbi chronicci , ideòque re- media ad hoc vitium sanguinis corri- gendum aptissima sunt coagulantia , qualia sunt terrestria , item absorben- tia & exhalantia.

Respectu figuræ , & hâc ratione ; dupliciter peccare dicuntur sanguinis particulæ ; vel enim nimis acres sunt , vel nimis obtusæ , licet reverè figura earum obtusa nullos malos producit effectus , ac proindè pro vitio non est habenda. Acres in nostro sanguine par- ticulae duobus ex fontibus proveniunt , vel enim in sanguinem ab extrâ deri- vantur , vel in ipso generantur.

Quæ externè adveniunt , vel per pulmones introeunt , vel per æsophagum , vel per cutim externam , sive vasa absorbentia intromittuntur. Quæ per pulmones , admodum malæ sunt , utpotè subtilissimæ , solidissimæ & ferè immutabiles; quæ per æsophagum , sunt vel in cibis contentæ , vel minerales

venenosæ, quæ eò semper sunt pejores  
quò duriores, ut anteà dictum est ;  
quæ per cutim transeunt, valdè nocivæ  
sunt, quin subtilitate magnâ donan-  
tur, ut docent cantharides & mercu-  
rius.. Particulæ acres quæ in ipso san-  
guine generantur, sunt eæ quæ propter  
attritum nimis vehementem ex obtu-  
fis & viscidis acres evadunt ; iste verò  
attritus duobus fit modis, scilicet 1°. li-  
quidis stagnantibus, indèque putredi-  
nem contrahentibus 2°. à liquidis ni-  
mis vehementer circumactis absque al-  
terius cuiuslibet liquidi blandioris ad-  
mixtione. 1<sup>um</sup>. Variis experimentis pa-  
tet, si enim hominis sani sanguis per  
aliquot dies in vase detineatur, fæti-  
dus, acerrimus, & urinosus planè eva-  
dat ; undè patet sanguinem eo modo  
ac aquam stagnando putrescere, pro-  
movetur quòque hæc putredo per ca-  
lorem aut teponem adhibitum ; nam-  
que eâ ratione particulæ in motu con-  
stitutæ sunt, quo fit ut in se invicent  
agendo acres fiant ; quòd si motus fiat  
nimis violentus, tum particulis aquo-  
sioribus exhalatis, quæ remanent, coa-  
lescent tanquam frigore condensatæ.  
Hinc ex nimio calore æquè ac frigo-  
re oriuntur scirrhi : ex motu verò vio-

lento oriuntur putrefactiones in nostro corpore. Quod verò sanguinis particulae acredinem ex circulatione nimis violentâ contrahant, vel indè liquet, quod si homo sanus, cuius excreta & retenta nil acredinis habent, sed admodum insulsa sint, febre ardenti corripiatur, sanguis illius ex accelerato cordis motu, & transitu per minima vasa impedito magis pressus ac attritus, magis magisque actis evadet, præsertim si non adhibeantur diluentia, donec ad istum tandem acredinis gradum pervenerit, ut vasa rodat, aphthasque & inflammationes internas, non nisi magnâ diluentium copiâ curandas, producat: hinc ex circulatione nimis accelerata eadem mala profluunt, quæ ex venenis acribus ingestis oriri solent.

3. Soliditatis respectu dupliciter quoque peccant sanguinis particulae, scil: vel excessu vel defectu; priùsq[ue] verò de his agamus, nonnulla de soliditate in genere sunt dicenda.

Per soliditatem volumus eam corporis proprietatem, quæ vacuitati propriè opponitur, & unumquodque corpus eò solidius esse censetur, quò minores & pauciores poros inter particulas suas interceptos habet. Experien-

tiâ compertum est corporum gravitatem eorumdem soliditati semper proportionalem esse , adeò ut si duo sint corpora magnitudine æqualia , pondere verò diversa , necesse est , ut plures sint vacui meatus in uno quàm in altero.

N. B. nullum datur corpus mathemati-  
cè solidum. Corpora solidiora motum  
suum diutiùs servant quàm minùs so-  
lida ; hâc nempè de causâ , quòd vis  
eorumdem motui resistens , quæ à fluï-  
do oritur ambiente , cæteris paribus ,  
eorumdem superficiebus semper re-  
pondeat ; quapropter cum in corpore  
magis solido plures sint materiæ par-  
ticulæ sub eâdem superficie quàm in  
corpore minùs solido , omnino sequi-  
tur corpora magis solida difficultius sisti-  
quàm quæ sunt talia. Hæc de solidita-  
te in genere.

Effectus particularum nimis solida-  
rum in sanguine duo sunt , scil nimia  
sanguinis subtilisatio , & motus oscil-  
latorii perturbatio ; quippe (1) Parti-  
culæ nimis solidæ è corde expulsæ ma-  
jorem cæteris motum concipient , (qua-  
ntitas enim motûs cuiuslibet corporis  
oritur ex velocitate ducta in molem )  
quapropter particulas illas , quibus cum  
erant simul expulsæ , deserentes in alias

impengent, atque hocce impetu easdem dissolvunt, & nimis subtiles reddunt.  
(2) Liquidum nostrum è corde expulsum per lineas impingit in latera vasorum, quod si æqualiter ubique fiat, æqualiter distenduntur vasa; si verò una linea majori vi impingatur, quam altera, motus oscillatorius perturbatur (vid. cap. 3. Theor: ult:) hoc autem necessariò eveniet, si in aliquâ linea particulæ contineantur nimis solidæ, hinc vasa extenduntur & ampliantur, & liquidi cursus perturbatur: undè polypi sæpè, aliæque obstrunctiones facile oriuntur; harum particularum origo externa est, sive particulæ nimis solidæ extrinsecùs advenientes. Remedia gravium sive solidarum particularum debent constare particulis æquè gravibus ac sunt fluidi nostri particulæ, cùmque animalium & vegetabilium particulæ ultimò resolutæ sint ferè ejusdem gravitatis cùm fluido nostro, sive ut 5 ad 6, illarum usu corpus in fano statu conservabitur, eundemque, si modò amissus fuerit, recuperabit. Quæ verò graviora sunt, ut phosphorus, oleaque crassa ex animalibus deprompta, salisque fixi ex vegetabilibus extracti, acida metallica, nec non sulphurea quæ,

que graviora supradictos soliditatis producunt effectus, ideoque in statu isto morboſo vitanda ſunt. Alterum particularum ſanguinearum vitium respectu soliditatis eſt, quod non adeo ſint ſolidæ ac eſſe debent. Hujus vitii effectus eſt inertia, ſive ineptitudo ad motum, ſive impotentia iſtis particulis movendi alias ſolidiores; undē ſequuntur lentores & cohæſiones.

---

## CAPUT VIII.

*De vitiis in totâ liquidorum massâ ſimul spectatâ harentibus.*

**A**bsolute jam particularum fluidi nostri historiâ, ad totam massam considerandam nosmet accingimus. Ut corpus aliquid nomen fluidi mereatur, requiritur, 1°. ut ſit in particulas admundum minutas divifum. 2°. ut particulae illae facillime ab invicem separari possint. Noſtrum fluidum dupliciter peccare potest, nempe 1° nimiâ particularum ſuarum cohæſione. 2°. earundem diſſolutione nimiâ. Cohæſio nimiâ, quæ alias lento dicitur, oriri potest vel à nimiâ particularum singularum magni-

tudine, vel à nimio earundem ad cohærendum conamine. Hic lensor si contingat in vasis majoribus, cordis auriculis, aut cerebri ventriculis, brevifit polypus, qui massa solida est corium porcinum representans, & eò solidior, quod diutiùs duravit: sàpè invenitur polyposa substantia in capitibus eorum, qui laqueo intereunt; in iis enim sanguis, refluxu ejus per venam magnam impedito, in ramos laterales regurgitat, ii autem nimis angusti sunt ad rotam massam transmittendam; undè fit ut pars solummodo tenuior transeat, repulsâ crassiore, quæ ex novi sanguinis adventu tandem canales istos obstruit. Si lensor in vasis minoribus arteriosis contingat, oritur inflammatio: quam comitantur pulsatio & dolor, quorum prius indè fit, quod sanguis lentescens qui in arteriolis hæret, à sanguine ponè urgente protrudatur; posterius autem indè est, quod vasculorum latera plurimùm distendantur, undè doloris sensus: hoc in casu sanguinis in arteriolis hærentis pars tenuior quandoque per vasa lateralia minima exhalatur, nimirum si non sint obstructa, aliter enim pars liquidior puerescit, undè pustulæ, gangrænæ, &c.

si verò in lymphaticorum orificio primo sive lato lento sit, colligitur ibi materia quædam gypsea, sive dura ob rationem modò dictam, scil: quia per laterales ramos hic loci copiosos defluit pars liquidior. Polypus hic albus si ad lymphaticorum extremitatem protrudatur, oritur hydrops simul & œdema. Vasis ut potè liquido suo pellucido distentis, quæ si rumpantur statim oriuntur leucophlegmatia, anasarca; humoribus quoque non rarò ob situm & stagnationem acredinem contrahentibus, apostemata & gangrenæ, quod si lento ille in extrematibus vasorum istorum hæreat, massa secernitur limosa & turbida, putrefactione vasa dissolvens, tabemque, nec non ejus effectus, producens. Si in vasis nervosis fiat lento, oriuntur morbi nervorum proprii, forsan apoplexia quoque sive sensuum abolitio; hoc verò rarò accidit, quia nervorum liquidum sive spiritus nunquam potest vel caloris vel frigoris vi concrescere; nervi verò externi afficiuntur, compressi scil: à vasis arteriosis nimiùm distentis, undè insensibilitas & immobilitas non rarò oriuntur.

Causæ lentoris in liquido nostro sunt

variæ. 1<sup>a</sup>. Exhalatio partis fluidioris ; hinc in venis sanguis tamdiu manet fluidus, quamdiu in illas sese exonerant vasa lymphatica. Remedium est restitutio liquidi avolati. 2<sup>a</sup>. Causa est quilibet caloris gradus naturalem corporis nostri calorem excedens, qui que quantus sit, thermometri ope cognosci potest; hic spiritus tenuiores evaporoando sanguinem inspissat, & reverâ talis lentor, remanente calore, nullo artificio, tolli potest, nec spiritu salis, nec oleosis, similibusvè; calor enim ejusmodi partes istas tenuiores evehit, etiam vase manente clauso, ut patet in sanguinis digestione. Hinc in omnibus morbis inflammatoriis, nimius calor maximè cavendus est, ut in variolis, &c. metu scilicet inspissationis. Idem caloris effectus, scilicet inspissatio, locum tenet in omnibus nostris liquidis, exceptis excretoriis, ut urina, sudore & quibusdam secretoriis, ut succo pancreatico, bile, saliva, muco, quæquidem aliquo modo coalescunt, sed iterum facile dissolvuntur. 3<sup>a</sup>. Causa est frigus immensum, quo congelari potest liquidum nostrum: si enim hominis sani sanguis aëri frigidissimo expônatur, separabitur pars crassa in in-

sulam , aquæ verò , sive serosa , in glaciem convertetur , uti patet in hominibus frigore extinctis ; attamen omnes sanguinis excretiones non facile congelantur , ut bilis & serum quæ difficulter , facile verò saliva congelatur . Urina autem partem suam spirituo-salinam in medio fluidam conservat , dum pars aquosa congelatur . Morbi ab hoc frigore mirifici pendent , observatum enim est carnes congelatas putredinem statim à frigore concipere , & 4<sup>a</sup>. causa est quies humoribus superducta , quæ in iisdem ferè omnibus , præsertim arteriosis , coagulum producit . Si enim homo sanissimus subito corripiatur metu , oritur statim pallor & frigus , atque si passio vehemens sit diuque perseverans stupor , liquidi defectus in cerebro nec non motus privatio , hinc obstrunctiones sive coagulationes humorum in visceribus quibusdam contingunt , quæ si in corde fiant , palpitationem producunt , idque usu venire solet in hominibus animi deliquia sœpè passis , hi enim postquam per aliquid temporis spatium , forsitan horæ quadrantem , sensu motuque privati jacuerint , inter refocillandum , incredibiles plerumque anxietates circā

cordis regionem sentient. Cor quippe tunc temporis, motu accelerato & quasi reduplicate, magnam sanguinis copiam in ventriculis suis, yasisque super incumbentibus stagnantem inde pellere conatur, indeque illius palpitatio; quod si massam sanguinis inde removere nequeat, oritur polypus, tandemque mors ipsa. 5<sup>a</sup>. Causa est corporum plurimorum sanguinem coagulantium admissio; sic acida omnia igne violento ex mineralibus destillata sanguinem subito coagulant, lentiū spiritus salis, omnium lentissimè, sed validissimè, vitrioli & aluminis, quæ tamen si venis injiciantur sanguinem illico coagulant, isque propter laxitatem & amplitudinem venarum, in cor usquè & pulmonalem arteriam devolutus, brevi animal suffocat; observandum verò quod omnia acida non inspissent sanguinem, nitrum enim & sal urinæ sanguinem diluunt, ut & acetum, aliique spiritus acidi vegetabilium. Salia alcalina nonnunquam eundem inspissant, nonnunquam diluunt, nonnulli & etiam sanguinem coagulant, ut alcohol vini, qui licet à nonnullis pro tenuissimo diluente habetur, venis injectus omne liquidum vitale coagulat. 6<sup>a</sup>. & ulti-

ma causa est motus nimius , itemque  
in vasis minimis obstructio , in omni  
enim obstructione arteriæ distenditur  
vas, tandemque obstructione perseve-  
rante rumpitur, indè sequitur liquidio-  
ris sanguinis partis extravasatio. Hæc  
aptitudo sive proclivitas ad coagulan-  
dum non est quid morbosum , verum  
proprietas sanguini in statu sano hærens.  
Experientia enim docet quodquod ma-  
gis sanus sit homo , eò citius & faci-  
lius sanguis illius extravasatus lentorem  
inducit , cum è contra ægri quam plu-  
rimi habent sanguinem fluidissimum ,  
præsertim leucophlegmatici , imò ho-  
minum nonnullorum in mortis agone  
versantium sanguis nequaquam coales-  
cit. Omnis causa illam concretionem  
promovet , quæ vehementissimè agit in  
sanguinem , qui enim exercitiis violen-  
tis dediti musculos suos plurimum mo-  
vent , sanguine crasso donantur.

Hactenus de nimia sanguinis tenaci-  
tate , proximo jam loco ejus nimia flu-  
ditas consideranda est , cum vero hæc  
pendeat à nimia partium suarum te-  
nuitate , de qua antea dictum est , ne-  
cesseron est ut in ea explicanda tempus  
teramus , sufficiat observare fluiditatem  
sanguini nostro , si modo opus sit , con-

ciliari posse vi sалиum volatilium, ex unguibus, cornubus, medullā, aliisque animalium partibus extractorum. Aqua quōque largā satis copiā injecta optimè resolvit & attenuat, diluitque ut & acria ligna guajaci, sassafras, &c. itemque falia omnia fixa ex vegetabilibus, mineralibus, nec non metallis, quae quō graviora eò meliora, hinc si aurum reddi posset fluidum absque gravitatis diminutione vel molis incremento, optimum esset dissolvens.

## CAPUT IX.

*De Gravitate Sanguinis.*

**G**RAVITAS corporum nil aliud est quam nisus eorundem descendendi versùs terræ centrum; est semper proportionalis corporum soliditati. Sanguis dum in corpore circulatur, calidus est & rarefactus, extractus autem è corpore frigescit & inspissatur, ideoque gravitatem illius, respectu molis, exactè non possumus investigare. Sed in variis regionibus tām frigidis quam calidis, sanguis simūl ac è corpore profluxerat, ponderatus, sese habuit

ad

*De Gravitate Sanguinis.* 49

ad aquam salsam ut 26 ad 25. Serum autem se habet ad eandem aquam ut 300 ad 253, adeoque serum gravius est sanguine una sexta circiter parte, quod videtur experientiae adversari, cum serum insulæ supernaret; hoc autem inde procedit quod partes insulam componentes vi frigoris simul & attractionis mutuae in massam magis solidam & compactam coalescant, prout inde patet, quod insula ista & serum simul sumpta non occupant tantum spatum quantum occupabant ante eorumdem separationem. Levitas nimia in sanguine hactenus non est comperta, is enim ponderatus ubique aquam salsam pondere excedebat, una vice si-  
ma sexta parte; si vero daretur, poterit oriri ab aquosis, spirituosisque omnibus, haec enim aqua salsâ sunt leviora.  
A particulis vegetalibus consoliditis & mineralibus gravior fit sanguis, quod optimè conspicitur in scorbuto lento; sanguis enim in eo casu compactus & salinus plurimum est, urina vero gravissima; fit hoc autem ab abundantia salis muriatici, qui in debita copia optimus est & ad vitam omnino necessarius, si vero quantitate excedat, pessimos producit effectus. Corpora quæ

C

§ 0 *De Motu projectili.*

Sanguine graviora sunt, ut sales fixi, integrè per urinam secernuntur, ita sal marinus immutatus prodit in urina. Ejus usus est sanguinem diluere. Hinc gravia medicamenta venenosa fiunt, quatenus vasa destruunt, sive secretiones nimis augent.

---

C A P U T X.

*De Motu projectili.*

**P**er motum projectilem intelligitur motus liquidorum per vasa circulatorius, cumque ab eo morbi plurimi, vita, sanitas & senectus pendeant, operæ pretium erit videre quid augeat, quidvè diminuat, aut depravet hunc motum. Augetur motus projectilis à motu corporis aucto, sic homine currente plurimum augetur; oritur enim pulsus frequens, sudor, sitis, anhelitus, omniaque febris symptomata quæ citò evanescunt, quiescente homine; at si in cursu ultrà vires persistat, omnia prædicta vehementiora evadent, simul & inflammationis species totum corpus occupat, urina à medico conspecta febricitantis esse putatur; si exercitium nimis diù continuetur, reverè oritur morbus, itaque à motu projectili aucto absque mutatione illâ fluidorum inter-

nâ oriri potest morbus. Ita quòque ex eodem motu diminuto sèpè numerò oriuntur morbi , cujus diminutionis causa plerùmque est tristitia ; sic si homo satis hilaris inter epulandum nuncium accipiat magni alicujus infortunii, subito percussus dolore, pavidusque liquidis suis stagnationem superinducit ; undè statim oriturus sit morbus , nisi magnâ diluentis alicujus copiâ prohibetur : pari ratione plurimorum morborum causam esse vel incrementum vel diminutionem motûs projectilis fluidorum comperiemus. Causa primaria motûs hujus projectilis est cor , siliqua nostra à canalibus , per quos fluunt, non siffrerentur , nec canarium continuitas interrupta esset , tûm semel mota semper moveri continuarent ; sed datur resistentia in canalibus , iique non sunt continui ; propè cor enim liquida sinum venosum & auriculas ingrediuntur , ubi per aliquod temporis spatium quiescunt ; cum verò corpus nullum se se mouere potest , necesse est , ut liquida nostra motum de novo accipiant à causâ quâdam externâ vim suam ibi exerente , ubi motum amiserint. Causa autem ista est cor , quod musculus est solidissimus , figurâ suâ repræsen-

tans helicem , cuius ope , ut docet me-  
chanice , vis debilis incredibilem resis-  
tentiam superare queat. Præter hanc  
causam primariam datur quòque &  
alia, estque vasorum elasticitas , sive vis  
illa , quâ eorundem latera à liquido in-  
fluente distenta sese statim restituunt ,  
& quidem in pristinum statum ; flu-  
idum enim à corde , vi magnâ , in ar-  
terias adactum , easdem statim disten-  
dit , hæque , cùm elasticæ sint , vi cordis  
cessante , sese statim restituunt & qui-  
dem eò majori cum vi , quò magis dis-  
tentæ fuerunt. Sanguinis è corde exi-  
tus , sive motus ejus projectilis , ipsius  
cordis actioni , non verò motui intesti-  
no sanguinis , uti nonnullis visum est ,  
debetur. Quod sic probatur ; Liquida ,  
quæ loco angusto contenta & coercita ,  
indè vi motus intestini partium suarum  
per foramen apertum prorumpunt , &  
in motum projectilem aguntur , tripli-  
citer suum consequuntur effectum ,  
nempè (1) si partes in motum satis vio-  
lentum cieantur vi caloris , sed calor  
sufficiens ad istum motum producen-  
dum minimè datur in corpore nostro ;  
licet enim sanguis è corpore extractus  
ad eundem caloris gradum promovea-  
tur , quem habet sanguis in vasis nos-

tris contentus, nihil tamen inde sequetur, præter ipsius putrefactionem: pisces præterea sanguinem frigidum habent, qui nihilominus circulatur, eo calefacto ipsi moriuntur. (2) Liquidum in circumstantiis supradictis positum in motum projectilem agi potest, vi partium suarum elasticâ, nimirùm: si liquidum aliquid elasticum in vase undique clauso condensaretur, aperto foramine statim pars ejus prodiret; id autem minimè locum habet in sanguine, quoniam elasticitas ab atmospheræ corpus ambientis pondere compensatur, adeò ut se se nequaquam expandere possit ad motum projectilem producendum: præterea sanguis in vasis contentus eadem vi suæ elasticitatis se expandere nequit ob incumbentis aëris externi pressionem; ergò cùm sit elasticus, secundùm corporum elasticorum naturam, vim suam exercet, ubi minor est resistentia, h. e. versùs cor premet; in eo autem continetur ejusdem fluidi portio, quæ aequali vi agit, ac proindè nullus indè sequi potest effectus. (3) Vi fermentationis procurari potest liquidi motus projectilis, ebullitio autem sanguinis in corde, quæ fermentatio dicitur nunquam observatur in corde.

C iiij

Circulatio sanguinis tripliciter acceleratur. 1. Cordis ictuum frequentia. 2. Ab aucto illius robore. 3. Ab aucta mole sanguinea, manentibus iisdem cordis ictibus, quia tum tota massa eodem temporis spatio eundem circuitum perficit, quem absolvere debet minor copia; velocitas enim pendet à pressione unius particulæ in aliam.

Circulatio retardatur 1. ab imminutâ vi cordis. 2. à vasis laxioribus & minus elasticis. 3. ab ineptitudine ipsorum liquidorum ad motum. Sanguinis itaque velocitatem augent. 1°. quæ actionem cordis fortiorē reddunt, qualia sunt medicamenta omnia, genus nervosum irritantia, ut olea aromatica, metalla, crystalli, alcalina caustica, salina, &c. quæ circulationem promovent, non quia fermentum sanguini inducunt, sed quia vasa, nervosque stimulant, motusque oscillatorios adaugent. 2°. animi affectus violenti & caleficientes, ut ira, furor, &c. 3° diurna musculorum exercitatio; nam ex frequenti musculorum actione, motus sanguinis in vasis inter musculos sitis promovetur. 4° Respiratio aucta, quæ si saepius iterata maximè facit ad accelerandum motum sanguinis. Causæ circulationem retardantes sunt modò traditis contrariæ.

## C A P U T X I.

*De Medicamentis.*

CUM pro variarum partium naturâ & morbis , varia requirantur medicamenta; itaque examinanda sunt illorum nomina , classes , natura , vires & actiones , in quibus agendis ordo duplex observari potest,nempè vel (1) enumerando ordine alphabetico singula quæque simplicia,unâ cum eorum viribus , usu , &c. hæc verò methodus tanquam minùs utilis rejicienda. (2) Simul enumerando omnia illa medicamenta , quibus eadem attributa, eosdemque effectus convenire , ex historiâ naturali constat : hâc methodo Galenus primus usus est (& post ipsum alii plurimi , ut Dioscorides , Aegineta , ac deindè omnes Botanici ) reducens medicamenta omnia ad certas classes , & vires medicamentorum omnium quadruples esse statuit , nim: (1) vires medicas elementarias (2) materiales (3) singulares , sive specificas (4) substantiales incognitas , experientiâ solâ cognitas . 1. Quid per vires elementarias voluit , statim apparebit , mente ejus cognitâ: dicit verò quòd in rerum natura illud , quod

C iiiij

unum corpus ab alio distinguit, diciatur qualitas; ergo quot sunt qualitates, tot diversa corpora. Hæ autem sunt 4. nempè: humidum, siccum, calidum, frigidum; quapropter corpora omnia ad classes 4 reduxit, cùm verò istæ qualitates raro seorsim & sìgillatim inveniantur, ideo 4 illarum combinationes, temperamenta dictas, addidit, scilicet calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. Corpora quæ unam ex 4 simplicibus possidebant, elementa vocavit, quæ exindè 4 ei videbantur, scilicet aér, quia siccus; aqua, quia humida; ignis, quia calidus; terra, quia frigida. Ex dictis videbantur ipsi omnia corpora componi; & pro ratione illarum qualitatum agere; idem affirmabat de medicamentis; hinc illorum vires in 4 classes sunt distributæ. Ex his 4 pari quantitate commixtis, conflata elementaria vocavit, ut & corpus nostrum elementatum, & à prædominio cuiuslibet elementorum morbos oriri asseruit; gradus quòque 4 esse voluit, secundùm quos hoc, illudvè elementum prædominaretur. Medicamenta quæ corpori sano applicata, nullam mutationem in eodem pro-

ducebant, gradus primi esse dixit e.  
gr. Violæ & Rosæ frigidæ & humidæ  
in primo gradu dictæ sunt; hæ tamen  
in frigido morbo nocere possunt. 2<sup>us</sup>.  
gradus est, quandò medicamenta cor-  
pus sanum aliquo modo afficere vel  
mutare, lædere autem non possunt.  
3<sup>us</sup>. gradus est, si vis eò accedat ut  
sanum corpus non destruat, sed ipsi  
noceat & morbosum reddat: hæcque  
medicamenta sunt adhibenda, quandò  
morbus in eodem gradu ægrum occu-  
pat. 4<sup>us</sup>. gradus est deleterius, ut in  
Euphorbio, &c. venenosis, quæ si ap-  
plicentur corpori, illud ita afficiunt  
ut mors sequatur. 11. Materiale voca-  
vit illud, cuius nonnullæ vires pendent  
à proportione quâdam inter eas & ma-  
teriam existente; hincque distingue-  
bat vires materiales ab elementariis,  
tanquam corpori proprias, hasque ma-  
nifestas vocavit, quia compositæ sunt,  
& composita magis conspicua sunt  
quàm simplicia; materia enim compo-  
nitur ex duobus elementis ad minimum,  
ideòque conspicua magis est quàm ipsa  
elementa. Secundùm dictam exposi-  
tionem herba emolliens dicitur laxare  
& emollire viribus materialibus, ca-  
lefacere verò vi elementarii, sive ca-

lore. 3. Vim specificam pendere voluit ex 2 præcedentibus variis modis inter se combinatis, eaque medicamenta hac vi prædita esse voluit, quæ peculiari alicui parti propria sunt, aut peculiari alicui operationi destinantur; talia sunt purgantia quæ specificum liquorem, ut serum, bilem, menses, &c. purgant, quæ cicatrisant, quævè carnem generant, ea omnia agere dixit propter vires specificas. 4. Per vires substantiales incognitas voluit eas, quæ nullâ aliâ ratione investigari potuerint præterquam experientiâ, talis est vis opii soporifera, quæ nec ex ejus humiditate, nec calore, nec siccitate, nec frigore, sed experiundo colligitur. Galenus itaque in eo erravit, quòd per illas qualitates solas conatus est omnium medicamentorum effecta explicare, quod cùm non potuit in venenatis, alexipharmacis, topicis, &c. divina ea & incognita ea appellavit. Præterea erravit in eo quòd tantum 4 qualitates admisit, cùm plurimæ aliae enumerari possint. Medicamentum est corpus, quod corpori nostro viventi applicatum statum ejus morbosum tollit. Omne medicamentum considerari potest, vel (1) quatenus in

solida agit , vel (2) quatenus in liquida sola agit ; vel (3) in quatenus utraque simul , ac proinde ad has 3 classes generales omnia reduci possunt.

Quæ in solida agunt , agunt vel 1 resolvendo & destruendo eorum texturam & cohesionem , vel 2 canales obstruendo , dilatandoque , eorundem laterum figuram mutando.

Quæ in fluida agunt , agunt vel 1 proprietates eorum alterando , vel 2 eadem è corpore educendo. Omnia ferè medicamenta tam in solida quam in fluida agunt , nam vix alterari possunt fluida quin simul aliquâ ratione solida afficiantur , & vice versa ; at tamen actiones medicamentorum , quatenus respiciunt fluida considerari possunt , non consideratis iis quatenus solida afficiunt , & contra ; pari planè ratione , quâ mathematici corporis longitudinem solam considerant , nullâ ratione habitâ vel superficie vel soliditatis , licet seorsim non existant. Ut sequentia clarius intelligantur , præmittenda sunt theorematata quædam.

1. Levissimus solus externus & purè mechanicus metus potest omne mutationis genus in corpore nostro producere , quod adhuc medicamentum ullum

C vij

produxit; ponamus enim hominem perfecte sanum, plumamque in ejus naribus leniter agitari; non potest ille uno momento se continere absque motu corporis convulsivo, ejusdem flexurâ, sternutatione, &c. quod si consideremus quanto muscularum numero, vi & nisu fiat sternutatio, admirabimus causæ levitatem; ista enim actio peragitur motu violento muscularum scapulæ, abdominis, diaphragmatis, thoracis, pulmonum, &c. præterea si actio perseveret, oritur liquidorum expulsio universalis, nempè expressio lacrymarum, muci, salivæ oris, palati, & asperæ arteriæ; excretio urinæ, sudoris, &c. hinc absque ullo humido, calido, frigido, &c. sulphureo salinis & simili bus, potest solâ applicatione plumæ ad interna narum, induci omnium solidorum & fluidorum motus in corpore nostro; sternutatio talis si diu persistet, ut solet, ab assumptione 100 partis grani Euphorbii intrâ nares, oriuntur graves convulsiones, diu durantes, cephalalgiae, urinæ & alvi excretiones involuntariæ, vomitus, æstus febriles, aliaque dira phænomena, tandemque mors ipsa.

2. Si jam tanta mutatio in corpori-

bus nostris fiat à levi externo motu , quid non fieri potest , si nervi interius afficiantur ; paretque hinc levissima corpora summoperè corpus nostrum mutare posse , cùm nullum corpus potest in solida agere , quin fluida simul afficiat , & è contrà : tamen distingui possunt corpora , in ea quæ immedia- tè , sivè primariò solida , fluida verò mediatè & secundariò afficiunt , & vice versâ .

3. Ex hoc mechanico motu omnia nostra liquida , licet iis nil internè accedat , mutari posse paret , prout ex casu modò memorato constat .

4. Solo motu spirituum animalium mutato , absque ullâ impressione à corpore vel externo vel interno , contactus opè , communicatâ , oriri possunt omnes effectus , quos in re medicâ quilibet medicamento adscribere potest . Ponamus enim hominem , ceteròquin sanum irritationi generis nervosi , sivè passioni hystericae obnoxium ; huic in beatiore sanitate detur occasio iræ , metus , tristitia , summa statim oritur mutatio in ejus statu ; nam quod antè per poros cutis ad pondus circiter 5 libr . horarum 24 spatio , perspirare solebat , jam mutato cursu per

renes viam sibi quærit ; quin etiam turbantur vasa trajectoria , secretoria & excretoria ; quis jam novit aliquid diureticum quod tantis polleat viribus ? præterè liquor modo dictus execretus , non est urina , sed mera lympha , sale , spiritu , odore & colore urinæ in corpore penè relictis ; pari ratione homines nonnunquam in diarrhæas ex metu conjiciuntur , undè meticulosi catores sunt & appellantur . Ex irâ quoque magna copia bilis nonnunquam rejicitur . Sudores ex metu non raro oriuntur , vomitus in hominibus excitatur ab objecti nauseabundi aspectu , vel fabulæ nauseabundæ narratione ; his primò oritur ructus , deindè nausea , salivæ expressio , convulsio ventriculi , vomitus , & nonnunquam alvi , sudorisque excretio : omne quoque evacuantum genus solo corporis motu insuetu excitari solet , sic primâ vice navigantes , sive jejni , sive cibis referti sint , pallidi primo fiunt & anxi , paulò post nutant , vertigine corripuntur , tandemque vomitus ; hinc patet machinam nostram adeò comparatam esse , ut quamvis illi nil à quo vis corpore contingat , tamen ex motu mechanico spirituum perverso , iis om-

nibus effectibus affici potest, qui à medicamentis usitato producuntur.

5. Motus ille tam mirificus excitari potest in nobis à particulis corporum insensibilibus machinæ nostræ applicatis; sic nonnulli, simul ac ingrediuntur cubiculum, in quo felis, mus, caseus, vè fuerit, licet non in conspectu, tamen in sudores conjiciuntur, & quandoque lipothymiam patiuntur, quidam concidunt, hysterici ex odore moschi statim laborant.

6. Medicamenta dividi possunt in partes adeò minutæ, ut imaginationis vim penè eludant, quæ tamen retinebunt vires ac tota, cuius tria dabimus exempla ex regno minerali, animali & vegetabili sumpta.

( i ) Constat experimentis à metalorum exploratoribus saepius factis, quod si granum unum auri per fusionem exactè admisceatur cum argenti librâ, singula grana argenti participabunt de auro; idemque etiam eveniret, si una 1000<sup>a</sup> pars grani auri cum dicto argenti pondere commisceretur, & tamen aurum in tantas minutias redactum vires & proprietates auro particulares retinet, quod exinde patet, quod istæ minutæ in unum ite-

rūm corpus verè aureum colligi possint. Hoc alio modo probatur, si enim gr: j auri in aq. Regal. ʒ x solvatur , nulla erit liquoris gutta , quin habeat in se particulam auri , ut ex sapore constat ; ideoque cùm nulla sit proportio inter liquidum & metallum , necesse est ut metallum in tenuissimas partes dividatur , & tamen manet immutatum , ut ex ejus præcipitatione & in auri formam reductione pater. Si loco auri sumatur cuprum , res adhuc fieri clarior : cuprum totum enim menstruum viridi colore imbuet. Ex dictis patet quare corpora metallica dissoluta & in liquidorum formam redacta tam pertinaces producant effectus , nimis quia singulæ particulæ figuram suam servant , rigidæ & immutabiles permanentes , quod in vegetabilibus locum non habet.

( 2 ) Ut verò sciamus in quā mīnutas partes dividi possint ea , quæ ex regno animali desumuntur , experimentum à Boyleo in hunc finem institutum adhibebimus ; ille sericeum vermiculi involucrum evolvebat , idque 300 ulnas longum comperuit esse , idem verò ex dupli filo constare detectit Leewenhoekius. Erat ergo 600

ulnas longum, & duo tantum grana pendebat, adeo verò fortè ut duo grana suspensa sustineret; quod si addamus mechanicos dividere posse pollicem in nescio quot milliones partium, antequam figura respectu sui principalis detrimentum patiatur; indè quivis facilimè potest colligere magnam partium animalium divisibilitatem, quam quidem demonstrant odorifera omnia, præsertim castoreum; id enim bilanci inditum in 4 dierum spatio nil ponderis amisit, interim tamen in sphaeram 3 circiter pedum exhalationes continuas & odorem insignem spargebat, novoque aëri expositum, eundem intra 2 minuta odore inficiebat, sine sensibili ponderis jactura. (3) ex vegetabilibus, si sumatur croci extracti gr. j. & spiritus vini ʒ x injiciatur, totum spiritum tinget, & quælibet guttula odorem & saporem croceum præ se feret. Ex dictis patet partes medicamentorum eò usque comminui posse, ut captum nostrum fugiant, & quidem licet partes sint diaphanæ, sensusque quòque fugiant, nihilominus effectus notabiles in corporibus nostris producent. Exemplo esse potest vitrum antimonii, cuius si scrup. j. vini libr. viij

infundatur, & digerantur simul, vinum adeò vehementer emeticum evadet ut ejus 3 iv epotæ ventriculum in motus adeò convulsivos adigant, ut penè invertatur, cùm tamen de antimonii vitro, quod in fundo vasis manet indissolutum, nihil omnino decessisse deprehenditur, idem obtinet & in croco antimonii. 7. Medicamentorum particulæ prout variis applicantur nervis, varios effectus producunt, exemplum sit turbith minerale, quod ex caustico vitrioli & mercurio conficitur, si hujus semigranum naribus indatur, omnes secretiones violentas reddit; si detur internè languorem & angorem excitat; si vero majori quantitate ut ad 8 gr: secessum, vomitum & sudorem movet, nervosumque genus irritat; Boyleus narrat tribunum militum quendam cataractâ laborasse, hujusque turbith ope ad gr: j, formâ sternutatorii exhibiti, curatum esse, excitatis primùm tumore capitis, alvi dejectione, sudore, &c. vid: Tract: de utilil: Philos.


Pro variâ ergò applicatione medicamenti, varii sequuntur effectus, quos scimus solum à posteriori; si autem conjecturis locus sit dandus, forsan hæ considerationes non erunt spernendæ:

(1) major, minorvè alicujus nervi nuditas facit ad majores, minoresvè, etiam diversos effectus adeò violentos producendos; tunica enim, quæ nares investit, nervosa est expansio, nullisque ferè involucris tegitur, & omnis nervus quandò sensilis evasurus est, abit in substantiam mollem, mucaginosam, quod hoc in loco maximè fit. (2) quò nervi propiores suæ origini, eò magis sensibiles sunt; hincque, faciliùs remotioribus irritantur, sic nervi olfactorii à turbith per modum sternutatorii exhibito valdè irritantur, quium idem nervis applicatum vix quandò que sentiatur. (3) Communicatio unius nervi cum aliis potest effectus medicamenti variare; nonnulli enim nervi diversâ origine orti sàpè concurrunt & communi nodulo colligantur, sed cùm omnibus iidem non sint concursus, hinc idem medicamentum in variis hominibus variè agit. (4) prout nervus, cui medicamentum aliquod applicatur, tendit ad glandulas, emissaria, emunctoria, medicamenti effectus variantur.

## C A P U T   X I I.

*Classes Medicamentorum*

**S**ecundum ea, quæ paulò antè dic-ta sunt, medicamenta, primâ eorum divisione, in 3 classes abeunt 1<sup>o</sup>. est eorum, quæ in solida agunt; per solida intelligimus illas partes nostras ultimas Cap. 3. explicatas. Medicamenta in illa agunt valdè ea movendo, non destructâ eorum cohæsione e. gr. sint A B duæ partes ultimæ cohærentes ad C D, ex moveri possunt



absque separatione vel solutione. Medicamenta hujus classis sunt 1<sup>o</sup>. stimulantia, 2<sup>o</sup>. contrahentia i. e. quæ faciunt ut solida minorem habeant longitudinem, crassitatem autem majorem, ita tamen ut eorum cohæsio non destruatur, adeoque medicamenta contrahentia, corpora incrassant, eaque magis firmiter connexa reddunt. 3<sup>o</sup>. Laxantia, quæ partes laxè cohærentes reddunt, ita ut mobiles, flexiles, dilatabiles & tenuiores fiant. 4<sup>o</sup>. Constipantia, quæ capacitatem canalium minuunt, ad hæc referenda sunt. (a) Em-

plastica constipantia, quæ instar glutinis canalibus adhærent, (b) Illinentia, quæ Emplasticis magis fluida sunt, (c) Obstruentia quæ non tantum angustiores reddunt canales, sed etiam implent. 5°. Chirurgica specifica, ut sarcotica, sive carnem generantia, cicatrisantia, & similia. 6°. Solventia, quæ dividi possunt in classes 6. nempè (a) rubefacentia, quæ levem inflammationem producunt; (b) vesicatoria, quæ vasa lymphatica suā actione destruunt; (c) escharotica, quæ non tantum vasa minima, sed & cutim ipsam destruunt; (d) corrodentia, quæ omnia, quibus applicantur, consumunt; (e) caustica, quæ partes adurendo consumunt; (f) putrefacentia, quæ partes nostras in fluidum putridum convertunt.

11°. Est eorum medicamentorum, quæ in fluida agunt, nempè vel totam fluidi massam afficiendo, vel particularum quarundam fluidi molem aut figuram mutando; talia sunt. 1°. Attenuantia, quæ particularum molem minuant. 2°. Condensantia, sive incrassantia, quæ molem particularum augent; hæc tamen quoad modum operandi distingui possunt. Condensatio enim fit à corpore comprimente par-

70 *Classes Medicamentorum.*

tes anteà liberas, quæ indè coalescunt,  
& in majores moleculas abeunt; hoc  
fit à causâ condensante, & compri-  
mente externâ, ut ab externâ pressio-  
ne aëris frigidi, sic hyeme aqua con-  
gelatur. In crassatio verò est cùm hæc  
partium combinatio fit propter priva-  
tionem partis liquidioris à calore dissipa-  
tæ. 3\*. Acrimoniam conciliantia,  
ex mutatâ nempè molecularum figurâ;  
acria sunt, quæ motum suum per pau-  
ca puncta communicant; adeòque acer-  
rima, quæ per unum tantum; horum  
natura anteà erat considerata ut & ob-  
servatum erat omnes particulas fluido-  
rum nostrorum obtusâ figurâ donatas  
esse. Huc pertinent putrefacientia nos-  
tra liquida; putrefactio liquidorum est,  
quandò eadem à partium attritu mu-  
tuò acria redduntur, nimisque velo-  
cia, & ex dulcibus fætida, qui fætor  
plerūmque ab oleo volatili per salem  
acri reddito procedit, ita ut quivis  
fumus cum sale ascendens nares in-  
grato odore feriat. 4\*. Demulcentia  
antecedentibus contraria, eaque tem-  
perantia obtundendo eorum spicula.  
5\*. Immutantia, quæ ita liquida mu-  
tant, ut tamen mutationis modum nef-  
ciamus, hoc dubium genus est, ad quod

referenda sunt omnia, quorum operandi modus nos latet. 6°. Diluentia; hæc totam liquidi massam spectant, cùm antecedentia agant in ejus particulas speciatim, suntque quæ fluidis nostris commissa, partes eorum cohærentes à contactu dimovent, aliasque particulas cohaesionem impedientes interponunt. 7°. Coagulantia, quæ partes fluidas coalescere faciunt, scilicet vel exhalando diluens, vel addendo glutinans, vel partes inter se compingendo. 8°. Moventia, quæ particulis motum imprimunt. 9°. Sistentia, quæ eorundem motum minuant, totius massæ quietem inducunt.

III. Claves sunt, quæ in solida & fluida simul agunt: in classes 5 dividuntur, in quibus continentur omnia, quæ veteres scripsere à posteriore ratiocinantes.

I. Claves continet antecedentes classi quatenus sub iis contenta medicamenta actionibus combinatis agunt.

II. Claves sunt omnia circulationem sanguinis, & secretiones promoventia, quæque fluidorum excretionem à sanguine promovent; cùmque varii liquores variis in locis excernantur; ideo variz sunt classi eorum quæ excretiones

72 *Classe Medicamentorum.*

cient 1°. lacrimas moventia. 2°. Apophlegmatizantia, quæ narium mucum educunt; huc referuntur sternutatoria, quæ serum propriè è naribus eliciunt. 3°. Sialagoga, quæ salivam educunt; talia sunt, vel externa, ut masticatoria, vel interna, ut mercurialia & vomitoria. 4°. Expectorantia secretiōnem phlegmatis ex pulmone promoven-tia. 5°. Cholagogia, quæ bilem extrà corpus educunt. 6°. Phlegmagoga, quæ bilem hepatis tenuem, succum pancreatis & intestinorum expellunt. 7°. Melanagoga, quæ atram bilem educunt. 8°. Laxantia, quæ fibras intestinales stimulando contenta expellunt. 9°. Lubricantia, quæ parietes intestinorum lubricant. 1°. Eccoprotica, quæ motum intestinorum leviter adaugendo fæces eliminant. 11°. Diuretica, quæ urinam movent. 12°. Diaphoretica, quæ perspirationem promovent. 13°. Emmenagoga, quæ menses pellunt. 14°. Aristolochia, quæ lochia pellunt. 15°. Ecbolica, quæ abortum procurant, partumque facilitant.

3°. Class: continet plurima, quæ à veteribus confusè tradita erant, ut (a) attrahentia, quæ liquida ex loco in locum derivant; (b) repercutientia, quæ liquidum

*Classes Medicamentorum.*

73

liquidum in parte aliquâ externâ hæ-  
rens intùs pellunt ; (c) refrigerantia ,  
quæ calorem præternaturalem tollunt ;  
(d) calefacentia , quæ calorem inducunt ;  
(e) Emollientia , quæ partes rigidas ma-  
gis flexiles reddunt ; i. e. solida la-  
xant ; (f) maturantia , quæ concretum  
humorem dissolvunt , & ad exitum  
disponunt ; (g) suppurantia , quæ li-  
quidum resolutum æqualiter & homo-  
geneum reddunt , ita ut magis facilè  
educi possit ; (h) indurantia , quæ ro-  
bur & rigiditatem fibrarum augent ,  
& partes laxas magis firmas reddunt ;  
(i) resolventia , quæ liquidi partes  
coagulatas dividunt , easque circulatio-  
ni aptas faciunt ; (k) discutientia ,  
quæ liquidum extravasatum vel intrà  
vas stagnans resolvunt , & ad fluxum  
disponunt , & solida stimulant ad pro-  
pulsionem liquidi , adèòque omne dis-  
cutiens est resolvens ; (l) aperientia ,  
quæ liquidum attenuant , & attenua-  
tum expellunt ; (m) astringentia , quæ  
vasorum latera magis ad se invicem  
accedere faciunt ; (n) striptica , quæ  
vasorum aperturas claudunt ; (o) ex-  
purgantia , quæ in vasis concreta re-  
solvunt & expellunt ; (p) detergen-  
tia , quæ induratas sordes liquefcere

D

faciunt & expellunt , nec non fibras mortuas absque dolore auferunt ; ( q ) Catharactica sive immundantia , quae majori vi detergunt , ad interiora magis penetrant , carnem sanam etiam extergentia ; ( r ) Erodentia , quae sunt detersiva & mundificantia , sed potentissima ; nam vivas & sanas partes auferunt.

IV. Clas: varia quoque continet & nempè , Topica , quae vires suas exerunt , quatenus loco corporis particuliari applicantur , eidemque soli conducunt. Hæc pro diversis corporis partibus in genera sequentia distribuuntur. A. Cephalica , quae morbis capitatis conferunt , cujus morbi omnes dolorosi pendent à periculo rupturæ propter tensionem membranarum cerebri , quae & ipsa vel à distentione à nimia sanguinis aut humoris copiâ ortâ , vel ab obstructione , pendet ; adeoque laxantia , minuentia , refrigerantia , hisce in casibus , conducunt ; undè cephalica evadunt. B. Ophthalmica , quæ oculorum affectibus medentur , qualia sunt calida & frigida. C. Odontalgica , quæ dentibus dolentibus succurrunt , qualia sunt caustica , erodentia , &c. nervo ipsi applicata. D. Otalgica , quæ

*Classes Medicamentorum.*

75

dolores aurium sedant, & fibras sum-  
mè tensas laxant, nullæ quippè mem-  
branæ plus tendi solent quam tympanum,  
& quæ meatum auditorium in-  
vestit; hîc adhiberi debent calida, ut  
aqua aut lac tepescens, etiam quandò-  
que & frigida, quæ vitiis ab oleo ama-  
to aurium ortis medentur. E. Stoma-  
tica, quæ respiciunt inflammationes  
oris, gingivarum palati, faucium, quæ  
eodem modo debellantur ac aliae in-  
flammationes; si gangræna adsit, sa-  
natur oleo tartari, nam alcalina non  
prosunt, corrodunt dentes. F. Arteria-  
ca, quæ fistulæ pulmonali exaspera-  
tæ statim medentur, emolliendo scil:  
& leniendo illam, quod obtinetur  
oleo amygdalarum & Eclegmatis, sive  
linctibus, quæ tamen non semper pro-  
sunt, quotiam asperitas dicta sœpè  
eritur ab obstructione glandularum in-  
ternarum, quo in casu plus conferunt  
vapor aquæ calidæ ore receptus, &  
varia decocta emollientia ex hordeo,  
glycyrrhizâ, malvâ & similibus parata.  
G. Thoracica & pulmonica, quæ acrem  
materiam pulmonibus impactam ob-  
tundunt, viasque laxant, & reverâ  
hæc in humorum tenuitate juvant, no-  
cent verò in peripneumoniâ pituitosâ

Dij

quæ neque sulphuri , neque illius bal-  
samo cedit ; spiritū autem sulphuris  
per campanam vires quodammodo ag-  
noscit. H. Cardiaca , quæ vel frigida  
sunt vel calida , nam in nimio fervo-  
re & æstu, ad refocillandum adhibentur  
frigida acida , ex citri succo , vino Rhe-  
nano : in frigido statu aromaticā quæ-  
vis , quæ subito replentia locum partium  
avolatarum supplēt , partesque stimu-  
lant. I. Stomachica , quæ vel frigida  
sunt , vel calida , nam in ventriculi af-  
fectibus calidis , citria , succus limo-  
num , acetum & similia conducunt ,  
in frigidis calida. K. Splanchnica , quæ  
viscerum obstructions referant , inter  
quæ locum primum obtinent aquæ mi-  
nerales chalybeatæ , uti & omnia quæ  
ex marte & mercur. componuntur , acria  
singula dissolventia & aromaticā. L.  
Intestinalia , quæ duplia sunt ; nempè  
Carminativa , quæ flatus discutiunt ;  
flatus autem sunt partes aëris elatice  
interceptæ inter duas extremitates spas-  
mo contractas & occlusas , ibi rarescit  
aër & se expandit , & à distensione  
oritur dolor , ad quem tollendum pri-  
mariò requiritur , ut aër decarceretur ,  
ne à niimiâ partium distentione orian-  
tur inflammations , sphaceli , gangra-

næ, herniæ, &c. Carminativum ideo omne agit extremitates illas solummodo referando, licet putaverint veteres carminantia bullas discussisse, cum reverè tollunt solummodo actionem spasmodicam, truculentaque ista symptomata non venenosæ acrendi, sed soli distensioni & spasio sunt attribuenda; undè nullum felicius carminans opio ipso & illis quæ spasmorum causas detruunt, spiritus compescendo vel acidum involvendo; nam si supponamus aliquem arsenicum sumpsisse, tumebit abdomen ad crepaturam usque, qui tumor ab assumpto oleo aliquo, quod acidum, quod spasmus causat, involve re potest, ut oleo tartari per deliquium multâ aquâ diluto, statim tollitur. Colicæ spasmodicæ sœpè invadunt fæminas hystericas, quibus anus sœpè ita clauditur, ut fistula immitti nequeat, aliquandò etiam ventriculi orificium clauditur; optimum remedium est opium, castoreum, galbanum in aquâ calidâ assumptum. 2º Anthelmintica, quæ vermes in ventriculo & intestinis latentes necant, qualia sunt emetica & purgantia fortiora, dein aspera corpora, ut sunt capita spinosa anguillarum cum butyro juncta, & jejunio

D iii

stomacho immissa , insuper conchylia  
grossō modo contusa , aut ostreorum  
conchæ , quæ dictos vellicant , necant  
& fugiunt vermes. M. Hepatica , quæ  
nil sunt nisi aperientia , ut sunt omnia  
salina non acria , sed attenuantia , ut  
sal tartari , sal polychreitus , &c. N.  
Cystica , quæ vesicam felleam depur-  
gant , qualia sunt cathartica & emetica.  
O. Splenica , quæ lieni dicata sunt ,  
qualia sunt aperientia. P. Mesenterica ,  
quæ mesenterii partibus dicata sunt ,  
suntque vel salina , vel saponacea , vel  
aromatica , vel stimulantia. Q. Nephri-  
tica , quæ vel calculum frangunt , li-  
thontriptica dicta , vel expellunt : an-  
priora dentut , meritò dubitatur. R.  
Hysterica , utero dicata , suntque , vel  
stimulantia , vel topica , vel antispas-  
modica. S. Arthritica , sive neuroti-  
ca , quæ specificè in nervos agere di-  
cuntur , inque ossium membranas &  
ligamenta articulorum.

V. Class: continet Antidota , sive  
Alexipharmacæ ; sunt quæ venenis spe-  
cificè resistunt ; cum venena agant tri-  
pliciter , nempè , 1º. quatenus soli-  
dis spasmodum inducunt . 2º. quatenus  
liquida attenuant vel coagulant nimis.  
3º. quatenus vasa disruptant & liquida

stagnare faciunt : hinc & Antidota sunt triplicia, nempè quæ vel in solida, vel in fluida, vel in utraque agunt. Venena agunt vi acrimoniam suæ, si enim cani  $\frac{3}{2}$  ii. vitriolidentur, statim in ventriculo intensus calor, erosio, spasimus excitantur, & haec symptomata tolluntur per antidota acrimoniam destruentia, ut aquam, oleum, gelatinosum aliquod, &c. nulla enim antidota sunt quæ venena specificè destruant, aut aliâ ratione quam mechanicâ.



## P A R S P R I M A,

### *De Medicamentis operantibus in solidâ.*

---

#### C A P U T I.

##### *De Stimulantibus.*

**H**AECENUS de variis medicamentorum classibus actum est, jam vero accedimus ad historiam magis peculiararem cuiuslibet tituli, ac i<sup>o</sup>. agendum est de iis, quæ in solida agunt, inter quæ primum locum tenent stimu-

D iiiij

lantia. Stimulans est, quod fibræ motricis oscillatorios motus auget; ut fibræ oscillatio augeatur, requiritur ut augmentum motus concilietur isti fibræ ad punctum, undè oscillationis augmentum incipit. Causa augmenti motū potest esse duplex, nempè 1<sup>a</sup>. particula libera vasis non annexa impetu proprio ruens in illud punctum idem extrā situm naturalem pellit, particulæ verò impulsu cessante fibra statim se contrahit, quo punctum è loco pulsū iterū restituatur, & quidem eō magis se contrahit, quod dictum punctum longius è situ suo fuerat remotum: causæ hujusmodi effectū non diu durant, sed citò evanescunt. 2<sup>a</sup>. Causa altera, & cujus effectus magis durabiles sunt, esse potest particula lateribus vasis infixæ, vel internè à præterlabente fluido, vel externè à causis externis. Ubi de acribus egimus, modum explicavimus, quo particulæ fibris infixæ eas stimulant.

*Conditiones in omnibus stimulantibus sunt.*

- 1) Ut tam tenuē sit stimulans, ut intra canales ire queat minimos, eorumque poris minimis semet infigere. 2)

ut tanta acrimonia ipsi insit, ut sibi in canarium lateribus aperturam facere possit, intrà quam semet insinuare possit. 3) ut hoc acre, tenuique tam longum sit, ut jam infixum eminere possit extrà superficiem, aliàs enim sit particula nutritiva. Hinc colligitur omne stimulans esse acre, sed tamen non sequitur quaslibet particulas & minutias & acres pro stimulantibus habendas esse, quia possunt esse adeò parvæ, ut earum nulla pars planum, cui infixæ sunt, supernatet. 4) ut stimulans sit adeò tenax, ut loco, cui infixum est, diù inhæreat.

*Cause stimulationem effcientes sunt.*

1) Omnes causæ vulnerantes: vulnerare enim est, facere solutionem continui per rem duram & acutam i: e: quæ momentum sui motûs punctis applicat paucis; hinc 2) urticæ, aliæque herbæ, urentes dictæ, stimulationem pariunt; 3) omnia salium genera 4) Olea omnia, quæ duplici modo stimulare possunt, 1<sup>o</sup>. quatenus se infigunt osculis meatuum, eaque obstruunt, undè impetus liquidorum in extrema exercetur, sic oleum olivarum corpori inunctum illud tumescere & erubescere

D V



facit, & febrim aliquandò inducit, ob perspirationem impeditam. 2º. quatenus acria sunt vel naturâ, vel arte. 3º spones, sive artificiales, sive nativi, quales sunt omnes succi vegetabilium, quatenus oleum & salem simul mixta continent. 4º spiritus omnes. 5º terræ omnes acutæ. 6º calor quicunque frequenter applicatus; huc revocantur sulphurea atque sales metallici; omne enim metallum, etsi per se satis blandum sit & mite, ut appareat ex auro & argento indissolutis, quæ nullo modo nocent sumpta, si solvatur in sale aut aquis fortibus, fit causticum, maximèque stimulans. 7º omnes motus externi. 8º Frigus vehemens, quod primo momento agit sensum frigoris inducendo, verùm paulò post summum excitat calorem; maximè hoc videmus in febribus, quæ cum frigore, horrore, tremore, &c. invadere solent. Hisce tamen symptomatibus statim succedit magna incalescentia.



## CAPUT II.

*De Contrahentibus.*

**C**ontrahentia sunt, quæ duo puncta distantia fibræ motricis in propiorem contactum adigunt, & in magis firmam cohæsionem; quod ut melius concipiamus, supponamus A B in fig. 1. esse solidum minimum ultimum, & ad CD adhærere E F solido quoque minimo ultimo, ita ut duo



solida sint in directum posita: his positis dico illa contrahi non posse; nam particula A B solida & compacta non potest intrare particulam E F solidam quoque & compactam, cui connectitur, nec proinde magis curtam reddere lineam A E, hoc est, se contrahere, nequeunt: si vero in fig. 2<sup>a</sup>. sup-

D vij

ponamus particulam A B adhærere alteri C D per puncta inter E F comprehensa, hoc posito facile concipere possumus particulam situm suum mutare posse, ita ut ex A B fiat E H; undè fit ut particulæ C D per puncta inter E G comprehensa, jam adhæreat; sicque longitudo, quam habebant duæ particulæ, minor evadet, h: e: sit contractio particularum; hincque sequitur minima nostra solida non posse per se seu singulatim contrahi, & consequenter contractionem solummodo fieri respectu duorum, plurimum è istorum minimorum juxta positorum.

Causæ contractionem promoventes ad hæc 4 Theor. reduci possunt. 1. Theor. Quidquid solvit fibræ alicius continuationem, id naturalem illius contractionem promovet, prout antè demonstratum est; sic arteriæ, venæ, fibræque nostræ vulneratae & scissæ sese contrahunt, hinc ignis, corrosiva & vulnerantia sunt causæ contractionis. Corall. ergo medicamenta plurima contrahentia vulnerando & lœdendo agunt. Lœdere voco, minima vascula vi quâdam discindere, corpus enim nostrum ex infinitis vasculis minimis constat, & hæc vascula non se-

cundūm longitudinem majorum vasculorum excurrunt, sed inter se componuntur & funium instar intorquentur, adeò ut magnum vas vix lædi potest, quin unum aut alterum minimorum planè diffringatur, arteriæ & venæ dissectæ se contrahunt, sic & illa vasa minima; adeòque lœsio causa est contractionis vasorum; & medicamenta hæc vascula lædentia contractionem producunt, talia sunt omnia genera Acrium. Contractionis vasorum hoc modo procuratæ effectus est liquidorum extravasatio.

2 Theor: Contractionem promovent omnia illa, quæ valido suo nisu canales ita dilatant, ut diameter longitudinalis minor, latitudinalis major fiat; hæcque duplia sunt, nempè repletia & stimulantia, hæc de fibris excavatis sunt intelligenda, hinc in vulneribus labia sunt retorrida.

3 Theor: Contractionem promovet quicquid causas vasa distendentes tollit, hocque fit depletionibus quibuscumque, ut clarè videmus in illis, quæ in genus nervosum agunt, salivationem & indè marasmus inducentia; nam vasa nimis depleta se contrahunt, undè corpus gracilescit; hoc etiam fa-

ciunt calida omnia , quæ liquidissima  
nimis dissipare solent.

4 Theor. Contractionem efficit insinuatio exiguarum particularum inter superficies minimorum staminum : sic , si inter duas fibrillas contiguas liquidum aliquod se insinuet , contrahuntur hæ fibrillæ pro ratione quantitatis liquidi inserti ; nam liquidum hoc insertum halce fibrillas à se dimovens , ac pro inde ex rectis lineis in curvas mutans totam fibræ longitudinem accurrit , necesse est. Hinc adeò mirabiles oriuntur effectus ; funes enim exsiccati aquæ immissi contrahuntur & rigescunt , ut chordæ musicæ , nervi nostri , & cor ipsum , quod in spiritu vini maximè contrahitur , & solidescit. Contractio-nes tales causant spiritus vini & oleum tereb. quæ cùm se insinuaverint , ibi hæ-rent , & solidescunt ; indeque est quod tam diversa ex illorum abusu sequan-tur symptomata. Notandum hîc quām periculosa sint omnia contrahentia in minimis vasis , quia cum ipsis con-crescunt.

1 Coroll. Augeri hinc potest fibræ alicujus soliditas , particula enim se insinuans applicat se lateribus , ibique

concrescens fibræ soliditatem majorem conciliat. 2 Cor. ergò cæteris paribus, contractio fibrarum earum vim in fluida intrà canales contenta auget. Cor. ergo & à contractione fibrarum corporis robur augetur ; hinc omnes homines quorum fibræ sunt contractæ, robustiores sunt.

---

**C A P U T   I I I.***De Laxantibus.*

**L**AXATIO dicitur ejusmodi mutatio in solidis, per quam elongari magis possunt absque ruptura, quam antea ; itaque patet flexibilitatem & dilatationem hæc definitione comprehendendi : nulla enim sit flexura, nulla dilatatio, nisi corpus quodammodo elongetur. ELONGATIO hæc considerati potest, vel respectu fibrillarum omnium minimarum, vel respectu vasculorum ex fibrillis illis constantium. ELONGATIO hæc in fibrillis minimis concipi non potest, ut enim fibrillæ minimæ longius à se invicem removeri possint, requiritur omnino ut particulæ nonnullæ lubri-

cantes sese inter partes istas insinuant, quod in minimis ipsis fieri nequit absque continui solutione. Medica ergo & propria laxatio solummodo obtinet in ultimis nostris canalibus; qui ex ipsis fibrillis componuntur, quique si rigidi sint, & liquidis suis priventur, ita ut eorum cohærent latera, perit eorum laxitas, quam arte aliquā restituere non possumus quām liquida amissa suppeditando, unde lubricantur, & ad motus flexionis apti redduntur. Quapropter laxantia sunt ea, quae canales ingrediendo eorum parietes ab invicem removent, eosque liquefaciendo molles redundunt; talia sunt 1°. aqua tepida vel internè sumpta vel externè applicata, ut balneis, fomentationibus, &c. 2°. Olea omnia vegetabilia ex maturis seminibus mitibus, non verò acribus expressa, ut oleum amygd: dulc: lini, &c. 3°. ex animali regno medulla ossium, quae cùm per meatus valdè exiguos in ossium cavitates derivetur, subtilissima est, it: adeps & pinguedo præsertim omenti. 4°. decocta farinacea, glutinosa emulsionis formā, qualia fieri solent ex hordeo, lini semine, aliisque seminibus oleum inter premendum exhibentibus, & ex herbis oleosis, lac-

tescentibus non acribus , item ex herbis emollientibus dictis . 5<sup>o</sup>. saponacea omnia , præsertim animalium bilis , quæ maximè emollit . Coroll . Hinc solvitur problema , cur aqua priùs laxet , dein regeficiat ut in corio , quod in aquâ maceratum valdè molle & flexible fit , arefactum verò durum magis , magisque inflexible quam antea evadit , nempè cùm aqua primùm penetrat , habet rationem fluidi , ideo partes mafaciendo molles reddit , ejusdem verò parte subtilissimâ vi caloris expulsa , quod remanet , ad naturam solidi accedit , & cum fibris concrescit , earumque firmitudinem auget . Laxantium effectus sunt duo , 1<sup>o</sup>. dilatatio canalium minimorum , 2<sup>o</sup>. indè libera magis humorum circulatio .

---

**C A P U T I V.***De Constipantibus.*

**C**Onstipantia sunt , quæ vasorum emissaria ita obstruunt , ut fluxus vitalis intercipiat , ideoque omne constipans agit , vel quatenus canali externe adhæret , eumque comprimit ,

vel quatenus internè canalium lateribus adhæret, eosque infarcit; an sensu posteriori constipantia talia dentur, est cur dubitemus, idque ob has rationes 1°. quia vasa lactea adeò minuta sunt, ut per ea nil ingredi posse videatur, quod in aliis vasis obstructionem modo dicto causare potest 2°. si tale obstruens lactea intraret, pulmones primùm impeteret, ejusque effectus ibi sentiretur; quia ab ingressu illius in vasa lactea usque ad introitum in pulmones continuò movetur ex angustiori in latiore canalem, ut ex anatomicis constat; quam primùm verò in arteriam pulmonalem defertur, ex latiori in angustius spatum moveri incipit, tandemque in vascula pulmonum arctissima fertur, quæ, cùm totius corporis minima sint, vel in iisdem obstructionem pariet, vel nullibi præterea. 3°. sanguis in pulmonibus aëris externi comprimentis vi plurimùm atteritur ac imminuitur, ac proindè obstructioni dictæ producendæ minus aptus redditur. Ex naturâ sanguinis nostri est, ut concrescat, simil ac quiescit; non verò quiescit, nisi motus cordis & arteriarum minuantur, adeòque interna obstruentia dici possunt, quæ vires cordis & arteria-

rum debilitant, quod quidem plerūmque fit æquabiliter per totum corpus, in pulmonibus verò primùm sentitur. In parte singulari fit obstrucțio, quandò aliquâ ex causâ quiescit liquidum ea in parte, adeòque talia obstruentia agunt non nisi humores nostros coagulando.

Constipantia propriè dicta, sunt duplia, nempè Illinentia & Emplastica. illinentia sunt 1°. omnia olea expressa, sivè extrinsecus, sivè intrinsecus applicata; cùm aqua enim non permiscetur, hinc ejus fluxum per canales impediunt, ut appareat in charta oleo oblitita. 2°. Semina farinacea, mucilaginosa, ut papaveris, lactucæ, &c. cum aqua ad gelatinam cocta, it: 4 semina frigida. 3°. Olea composita ex vegetabilibus & oleo simul coctis. 4°. Olea stillatitia ex vegetabilibus. 5°. Omnia balsama nativa liquida.

Emplastra dicuntur, quæ externè meatus, glutinis instar, compingunt, illorum duo sunt effectus, 1°. enim plurima vasa simul obstipant & illidunt. 2°. liquidum ibidem stagnare & putrescere faciunt. Emplasticorum classes sunt 5. I. Farinæ omnes oleo & terrâ constantes cum aquæ pauxillo in pastam redactæ. II. Omnia aquo-

sa ex vegetalibus , quæ tenacia & conglutinantia sunt , inque aqua sola solvi possunt , plantæ quippe liquidum triplex fundunt , 1<sup>um</sup>. quod in spiritu vini solo solvi potest , & dicitur oleum . 2<sup>um</sup>. quod spissum est , & in aquâ solvitur , & dictum balsamum , constatque ex oleo & muco ; quibus duobus , si accedit terra , tum 3<sup>um</sup>. vocatur gummi quod magis solidum ex salinæ partis avolatione factum resina dicitur . III. Resina . IV. Omnes gelatinæ sive decocta diuturnâ decoctione inspissata ex partibus solidis animalium , ut ex piscibus , Ichthyocolla , è quâ gluten fit optimum , namque Deus ne pisces continuò afficerentur ab aquâ falsâ circumambiente , posuit innumeras glandulas in eorum cute , quæ oleum secernunt ; undè cutis pis- cium valde balsamica est , atque ex pelle cocta Ichtyocolla , gluten dictum , conficitur . V. Composita ex his 4 prædictis , ut Cataplasma , &c. Effectus omnium illinentium , obstruentium , constipantium sunt ( 1 ) impedire trajectum liquidorum , adeò ut in vasis stagnent ; hinc cadavera conservare solemus unctuosum quoddam iisdem illinendo , quod fluidorum ingressum

impedit. (2) producere omnia illa, quæ produci ſolent vi vitæ in vasa quodlibet obſtructum; nam liquida stagnantia vi vitæ à tergo urgentur, alterantur, augentur copiâ; hinc tumores, qui, ſi circâ vasa arterioſa ſint, fiunt inflammationes. Si circâ vasa lymphatica ſint, fit tumor albus vesiculosus ſive œdema. Si circâ vasa omnium minima, oritur tumor flatulentus, ut fieri ſolet in podagra ex applicatione Emplastrī; hoc enim liquidus transfluxus impeditur, ideoque pars illa tanquam flatibus distenta appetet. Si maneat obſtructio & inflammatio, & vis vitæ adſit, apostema. Si vis vitæ ingens & obſtructio magna, fiet gangrena. Si omne liquidum exprimatur, & crassa coeant, fiet ſcirrus. Si illa materia moveatur, fiet cancer. Si magna copia vaforum vi vitali & obſtructione pertinaci deſtruantur, fiet sphacelus ſive mors partis. Si verò hæc caſaveribus applicentur, in quibus nulla vis vitæ, nihil producunt præter conſervationem à corruptione.



---

C A P U T V.*De Chirurgicis specificis.*

**C**hirurgica specifica distinguntur in sarcotica, sive carnem generantia, cicatrisantia & callum generantia; quæ omnia nihil agunt in cadaver, sed vitalem liquidi fluxum supponunt. Sarcotica sunt, quæ tollunt id, quod impediebat concretionem & exsiccationem vasorum. Callum generantia sunt, quæ impedimenta nutritionis, sive accretionis in minimis vasis ossis seu cartilagineis tollunt. Quòd hæc medicamenta cum effectu operentur, quædam conditiones requiruntur in fluidis nostris, & nonnulla in solidis. In fluidis requiritur 1°. ut sint mitia sive blanda. 2°, ut sint mobilia per minima vasa, 3°. ut sint aliquantulum glutinosa; medicamentorum enim horum actiones fiunt in vasis minimis & tenerimis, vix à fluido differentibus, adeoque fluida quæ per illa transeunt, omni acrimoniâ destituta esse debent, ne vasa illa destruant, debent quòque talia esse ut per eadem facile fluant, non tamen adeoque esse te-

nuia, ut defluant, sed talis consisten-  
tiæ, ut adhærent vasis. In vasis requi-  
ritur, 1°. ut sint apta ad fluidum re-  
cipiendum, 2°. ut sint flexibilia & di-  
latabilia, ita ut aliquando facile dis-  
tendi possint. Hisce positis, sequuntur  
horum medicamentorum effectus hîc  
memorati, nempè, 1°. Canales sejuncti  
uniuntur per modum anastomoseos. 2°.  
Canalium fines per impetum liquidi  
vel eousque tantum distenduntur, ut  
transpirationi insensibili solummodo  
patecant, vel eousque, ut etiam su-  
dorem emittant; estque hæc posterior  
optima methodus curandi absque cica-  
trice, sed raro fit, quia citius & fa-  
cilius vulgari modo consolidatur vul-  
nus, sed tum pars illa non est perspi-  
rationi apta, 3 fit vasorum accretio &  
arescentia, quando tantum resistunt,  
ut liquida intrare nequeant, undè ci-  
catrix, stagnatio succi nutritii in ulti-  
mis, nec non ejusdem concretio & ag-  
glutinatio, omne enim liquidum in va-  
se suo stagnans cum ipso concrevit,  
undè cicatrice pars obducitur, alias  
que partes soliditate, duritie, insensi-  
bilitate, candore, difficiliore & par-  
ciore transpirabilitate superat: hinc ob-  
pressionem atmospheræ nonnunquam

dolores in istis partibus, quæ vulneratae fuerunt, sentiuntur; ad quod evitandum in vulnerum curatione vasatam mollia servari debent, ut distendi possint, sed plerumque Chirurgi ad sanguinationem expediendam vasorum vires ita augent, ut plus resistant quam liquida urgeant, quæ proinde intrare nequeunt, adeoque vasa illa complanantur, & fit callus.

Ex dictis patet medicamenta, de quibus nunc agitur, tam in fluida quam in solida vires suas exercere debere; ideoque sunt, vel externa, vel interna. Interna sunt, quæ chylum blandum nullis salibus, nullo oleo acri sive aromatico, aut terrestribus acribus, scatentem præbent, tum quæ dant chylum tenuem, sed aliquantulum lentiusculum, non enim ita tenuis esse debet, ut fluorem vulneri conciliet; Talia sunt decocta carnium & juscula. 2°, Decocta farinarum blandarum, ut hordei, avenæ, tritici, oryzæ. 3°. omnes emulsiones ex similibus paratae. 4°, ea, quæ acre prædominans tollunt. Acria sunt, vel salina, vel acida, vel oleosa, vel terrestria; vel ex his combinata. Contra singula acida singula habemus temperantia, omne enim acidum dominari

mari potest, dum vel oleo obvolvitur, vel aquâ diluitur, vel mucilaginosis obtunditur, vel per sales oppositos, scilicet alcalinos, destruitur. Alcalia aquâ, oleo, mucilagine & acidis dominantur; oleosa acria sunt vel ex aromaticis, vel alliatis, vel ex oleis expressis factis rancidis, & non adeò facilè tolluntur, quia olea pertinaciùs adhærent, nec tam facilè aquæ diluenti auscultant nisi aquæ sal acidus, & parùm mucaginis addatur. Acria terrestria sunt corpora dura & scindentia, ut vitrum comminutum, crystalli, metalla, semimetalla, omniaque solida ita minuta ut canales subire possint, eorumque latera penetrare; hæc vix superari possunt, aut si canalium lateribus altius impacta sint, avelli, & quidem ad ea removenda nil aliud restat agendum quam ut vasa oleo multo & aquâ laxentur. 5°. Quæ crassa attenuant, nam si pus nimis crassum sit, vulnus consolidari nequit, horum optimum est aqua pura calida; huic addi possunt sales alcalini fixi, nam volatiles nimis citò avolant, & si in magnâ copiâ sumantur, stimulant nimis. 6°. Quæ æquabilem motum liquidis conciliant, talia sunt quæ li-

quida æqualiter laxa tenent, ut aqua  
moderatè calida. Hæc sunt interna,  
quæ ad vulnerum curationem requi-  
runtur.

Externa sunt, quorum ope æqui-  
librium servatur inter vasorum resis-  
tentiam & vim liquidorum influen-  
tium, ita ut vasa nec minus nec plus  
resistant quam debent; si autem vasa  
ita disposita sint, ut in æquilibrio cum  
suis liquidis maneant, tum curabitur  
vulnus absque ulla cicatrice. Huc au-  
tem faciunt 1°. quæ vasa laxant, inter  
hæc optima aqua tepida. 2°. quæ pu-  
tredinem coercent, ut sunt spirituosa  
omnia, quæ mundificare dicuntur, &  
putredini alcalinæ resistere, salina quæ-  
cunque præter alcalina, olea omnia,  
ut & balsama, e: gr: tereb: copaiv.  
peru, &c. Omnes tincturæ cum spi-  
ritu vini & balsamis factæ, ut cum ab-  
synthio, scordio & aliis resinosis oleo-  
sis, balsama naturalia, unguentum ex  
aromatibus paratum, & ex iisdem bal-  
samum. Omnia enim aromata balsa-  
mum habent, quod ab oleo ipsorum  
provenit, & spiritu vini extrahi po-  
test, omnia cerata, unguenta oleosa,  
sed lenia, emplastra, unicum sufficere  
possit ex cera & tereb: oleo, 3°. Quæ

vasa nimis humida exsiccant, si enim caro sit luxurians, vel excrescens, fungosa est & planè indicat vasa nimis distendi & laxari ob liquidum nimis copiosè influens, ideoque exsiccationem requirunt, & hoc Chirurgi vocant exedere. Exsiccantia sunt, ossa piscium leni igne calcinata & pulverisata, ut sunt lucii mandibulæ, quæ acre acidum absorbent, si verò nimis diù applicentur, exsiccant & cicatricem inducunt; omnes lapides piscium & cancerorum, margaritæ, &c. plurimum quoque valet colophonia contusa quæ componitur extereb: in aquâ coctâ & exsiccâtâ, donec contundi possit, & ultimum est remedium in fistulis exsiccandis; omnes quoque terræ, ut creta, boli, rubrica, osteocolla dicta, dein terræ metallorum, ut calx vitrioli probè edulcorati, lapis hæmatites, crocus martis tam aperiens quam astringens, cerussa, minium, calx stanni, quæ absorbent omnia liquida 4°. Quæ vasa contrahendo soliditatem & robur iis addunt, talia sunt alcohol vini, oleum tereb: ferè fervens,



E ij



## C A P U T V I.


*De Solventibus sive Dolorem carentibus.*

**D**OLOR est perceptio ingrata, quæ fibrae nervicæ distentionem comitatur, nulla enim sit tensio in parte nervosâ i: e: alicubi in corpore nostro quin oriatur dolor, licet nil acris, nil corrosivi accesserit, quod patet in carnificum torturis, quòd si pars strictè ligetur, nimis, reprimatur, contundatur, corrodatur vel dissecatur, ignevè destruatur, perit in eâ parte sensus & dolor; si enim in cane nervum ad crus pertingentem dissecueris, licet omni modo membrum illud malè tractes, dolorem tamen non sentiet canis. Ergò nullus in nobis excitari potest dolor corporeus, nisi à læsione, qui cum variis modis lædi potest; hinc pro variis istius læsionis gradibus, varii in nobis excitantur dolores. Distractionis nervosæ partis simul, & sensationis doloris indè orti, duo sunt gradus: 1. Gradus est omnium levissimus, scilicet quandò nervus itatenditur, ut mens animadvertis vim fibrarum, adhuc superare vim illatam,

undè oritur pruritus sive titillatio i. e. medium quid inter voluptatem & dolorem.

2. Gradus est quandò dissolvitur continuum, ac proindè dolor & titillatio in dissolutis partibus cessant. Quicquid ergò facit, ut pars per levem tensionem irritata maneat in eodem statu, lætitiam causabit, mens enim advertit vim fibrarum adhuc superare vim nervo illatam. Tensio, sive distractio duas ob causas dolorem inducit, nempe, ob ea, quæ dissolutionem antecedebant, qualia sunt rosio, inflammatio, distractio.

2. Ob ea, quæ dissolutionem sequuntur, scilicet ab tenore fibrarum destructum, ita ut quod antea quinque fibris sustinebatur, post solutionem ab unâ tantum sustinendum est, v. gr sit ABCD in figurâ oppositâ nervus ex quinque fibris constans; si jam causa



aliqua fibras inter EB contentas, quæ omnes simul impetum, sive vim punctorum A B sustinere debent, solverit, ita ut una illæsa maneat, hæc jam totam vim punctorum illorum sustinebit, indèque oritur dolor; si verò illa quo-

E iij

que rumpatur , perit sensus , & dolor  
in illâ parte. Dolorem creare possunt  
1. Omnia quæ internè distendunt vasa,  
quatenus nimirùm ex eâ distensione  
tenerrimorum nonnunquam sequitur  
ruptura. 2. Eadem de causâ quicquid  
externè premit vasa , potest dolorem  
excitare. 3. Quicquid aliquâ ratione  
fibras nimium tendit , ut distorsiones.  
4. Quicquid fibras quasdam , reliquis  
intactis , dissolvit. Solvi potest conti-  
nuum vel instrumento mechanico , ut  
gladio , vel medicamentis acribus , vel  
ignis actione. Pruritum , sive titillatio-  
nenem excitant :

1. Medicamenta rubefacientia dicta ,  
quia observatur à titillatione colore ru-  
brum in corpore oriri. 2. Quicquid in-  
flammationem levissimam creat , idem  
quòque titillationem producit , i. e. pri-  
num gradum doloris excitat , sic om-  
nis pustula rubra prurit , nimis tracta-  
ta dolet , sic omnibus animalibus af-  
tro venereo agitatis rubent genitalia ,  
& penis ob solam mentis cogitatio-  
nem , quâ nervuli ejusdem irritantur ,  
rubescit , extenditurque , adeoque om-  
nes pruritus species sunt inflammatio-  
nis species ; Inflammatio verò oritur  
ab impedito transfluxu sanguinis ex

ultimis arteriis in primas venas , undè  
in illis sistitur pars crassior dum te-  
nuior per lateralia fluit vasa , sicque  
oritur rubedo.

Causæ rubedinem inducentes sunt.

1. Omnes frictiones i. e. compressio-  
nes & remissiones reciprocæ , ita ut  
canales nunc claudantur , nunc dis-  
tendantur , & ab hâc reciprocatione  
oritur grata perceptio. 2. Omnes fo-  
tus sive applicationes emollientium &  
lavantium tepidæ , sive internè , sive  
externè ; fotus enim suo calore pres-  
sionem aëris minuit , humiditate verò  
suâ vasa laxat , ideo sanguis eadem co-  
piosè ingreditur , undè rubedo. 3. Om-  
nia Emplastra densa & simul non acria,  
sed tenacia & glatinosa , hæc enim po-  
ros obstruendo perspirationem impe-  
pediunt , indè humores accumulantur.  
4. Cataplasmata similia i. e. corpora  
aquâ subacta , & ad pultis tenacitatem  
cocta , adeoque mediæ rationis inter  
Emplastra & aquam , hinc ratione aquæ  
agunt , ut fotus , tenacitatis autem , ut  
Emplastra. 5. Omnes suctions sive à  
sanguisugis sive à cucurbitis , sive à  
quâcunque aliâ causâ provenientes ;  
aëris enim pressionem auferentes , san-  
guinem in partes , ubi fiunt , deducunt.

E iiiij

6. Calor quilibet nostri corporis calorem superans , motum enim fluidorum auget. 7. Omnia acria stimulantia, quæ per fibras externalium partium , i. e. Epidermidis penetrantia , & in meatus proximè subjacentes sese insinuantia , lateribus vasculorum sese infigunt , & motu vitali liquidorum pulsa , ita in vascula agunt , ut eadem indè in primo distributionis gradu constituantur.

Talia sunt , 1º. Omnes plantæ aromaticæ, in quibus sal & oleum prædominantur , ut ruta , sinapi , nasturtium aquaticum & hortense , cochlearia & raphanus , urticæ , &c. quæ omnes analyſi chemicâ examinatae multùm olei tenuis & salis continere reperiuntur , præterea urticæ microscopio examinatae jacula bifida exhibent , quæ corpori nostro immissa motus , tremulos & inflammationem excitant. Indè si applicentur membris paralyticis , languidis & sopitis , plurimùm proſunt. 2º. Ex animalibus etiam talia dantur , formicæ enim , quæ multùm salis & olei præbent , eundem in nostris corporibus effectum producunt , sic quoque carnes & pelles putrefiantes sal alcalinum volatile præbent , quod vellitando levem excitat inflammationem ,

*sive dolorem carentibus.* 105

columbae quoque recenter trucidatae, & corpori applicatae calidæ, ibi ad putredinem usque relictæ, inflammacionem levem sive pruritum producunt.  
3º. Omnia naturalia, in quibus est sal alcalinus qualiscunque, sive fixus, sive volatilis, sive muriaticus; item omnia acida non acria, omnia sive oleosa, sive salina, vel fermentatione, vel distillatione facta, vel etiam expressione, modo non sint nimis aeria. Inflammatio haec sive pruritus, sive primus doloris gradus, duos habet effectus, nempe 1. Solidorum attritum. 2. Derivationem majoris liquidi copiæ in vasa lateralia & secretoria.

Gradum doloris secundum excitant Epispastica omnia, i. e. medicamenta quæ derivant liquidum in partem, cui applicantur, tantâ vi ut vasa tenerima rumpantur: Liquor vero effusus ab Epidermide illas in vesiculas elevatâ retinetur, ideoque medicamenta epispastica debent constare ex partibus acribus & tenuibus, quæ per Epidermidem illas transeuntes sese infigant laterib[us] vasculorum, sudori, materiæ perspirabili & lymphæ dictorum, eaque rumpant, Epidermidem non destruant, quia pauca tantum ha-

E V

bet vasa , & vis vitæ in eâdem admodum debilis est.

Medicamenta dictum effectum producentia sunt. 1. Omnes Phænigmæ , sive medicamenta rubefacientia diu applicata , scilicet , semen sinapi applicatum primò ruborem inducit , si autem per horas 2 maneat , vesicam excitat. 2. Omnia quæ sale acri volatili & oleo penetranti gaudent , ut ranunculus , radices thalpiæ , raphani rusticani , flammulæ Jovis , cyclaminis , cepæ , allia , succi ex Euphorbio , tithimalo , stramonio & similes succi acres purgantes ; lixivia saponacea diu applicata , fermenta acria , simus columbarum , præsertim earum , quæ fabis plurimum vescuntur , indè enim simus colombinus salis acriis plus obtinet ; cantharides , uti & venena nonnulla , puncturæ apis , vespæ , &c. 3. Ignis , qui cum lentus sit , rubefacit solummodo verum auctus vesicam excitat , idque vel mortuis ipsis , quoniam seipsum movere valet , cum alia vesicantia inertia sint , & ab aliâ causâ in actionem deducuntur. 4. Omnia salina alcalina tam volatilia quam fixa , olea omnia acria aromatica , urina putrefacta , caro putrida. Hæc ergo adhibenda ,

ubi major motus requiritur ad infarcta  
vasorum solvenda & per stimulationem  
expellenda.

Cor. 1. Hæc omnia medicamenta,  
igne excepto, vices gerunt instrumentalis  
causæ.

Cor. 2. Non agunt, nisi in solidas  
partes.

Gradum doloris tertium excitant  
Escharotica. Eschara apud veteres vo-  
cabatur focus Deorum, hinc deducta  
ad significandam crustam vi foci in-  
ductam. Differunt hæc à Vesicatoriis  
gradu tantum, quatenus sicut: Epider-  
midem lacerant, & carnem corrodunt.  
Hujus class: sunt 1. Escharotica pro-  
priè dicta, quæ vascula destruunt, ita  
ut liquida effundantur, quorum par-  
te tenuissimâ avolante, fit inspissatio,  
dein exsiccatio, quam sequitur cruf-  
ta, hæcque liquoris è vasis fractis erum-  
pentis, evaporationem impedit; undè  
liquor stagnando acris evadit, & cor-  
rodendo ulteriùs penetrat, & destruit  
omnia, ac si ignis esset. 2. Omnia cor-  
pora vegetabilia, animalia & fossilia  
quibus ea inest vis, ut possint vascula  
destruere, & liquida expellere, & te-  
nuissimam liquidi partem inspissando  
crustam super inducere. Hoc modo

E vj

agunt vitriolum, arsenicum, aqua fortis, lapis infernalis & similia. Huc retulerunt veteres sequentia. 1º. Caustica, quorum primarium est ignis, hincque ea quæ instar ignis agunt, caustica appellantur, suntque. 1) spiritus acidi fossiles ex salibus v. gr. marino, nitro, vitriolo, nec non sulphure vi ignis fortissimi destillato. 2) metalla istis spiritibus acidis salinis soluta, & in crystallos redacta, ut solis & lunæ crystalli, item mercurialia. 3) Semimetalla in iisdem spiritibus soluta, ut cobaltum, antimonium, &c. 4) Spiritus animalium alcalini, qui ex omnibus animalium partibus, exceptis chylo & lacte, educi solent, in destillatione enim post aquam & phlegma, quæ primò exeunt, ascendit sal volatile, deinde liquidum fætens, quod spiritus est, qui verò corpori applicatus præsentaneum est causticum. 6) Spiritus acidi simili modo ex animalibus parati. 7) Succi vegetabilium acerri morum, ut ranunculi, Euphorbii, laureolæ, &c. 11. Septica, quæ talem mutationem carni in corpore vivo inducunt, qualis in cadavere aëri humido & calido exposito subire solet. i. e. putrefactionem. Cadaveris

sive dolorem carentibus. 109  
enim humores caloris vi agitati mo-  
ventur, iisque per humidum fibras  
emolliens via ad evaporationem aperi-  
tur, quapropter partes balsamicæ aquo-  
fæ humorum subtilestes statim avolant,  
quibus remotis sal volatile fætidissi-  
mum & acerrimum erumpit, undè  
fit ut solida & liquida quæ remanent,  
in unam massam dissolutam putridam  
abeant, h. e. purifescit cadaver, simi-  
lēm putrefactionem inducit arsenicum  
assatis cepis humiditatem conservanti-  
bus mixtum, ut mercurius sublimatus  
corrosivis farinaceis humidis & cata-  
plasmatis mixtis.

1. Cor. Omnia medicamenta dolo-  
rem excitantia à primo gradu titilla-  
tionis usque ad summum destructionis  
differunt gradu solo, quatenus quæ-  
dam magis, alia minus violenter ope-  
rantur.

2. Cor. Hæc medicamenta propriæ  
vi nunquam agunt, igne excepto; si  
enim cuti siccæ applicentur, ibique  
immota maneant, nil agunt, sed si li-  
quido commisceantur, scilicet in cor-  
pore in continuo motu existente, effec-  
tus vehementes producunt, sic oleum  
vitrioli fortissimum congelatum parti-  
siccæ admotum nil efficit, contrà ve-

rò liquidis corporis vivi admixtum.

3. Cor. Calor omnium horum medicamentorum est causa excitans & stimulans, quatenus velocitatem eorum motus auget; stiptica enim calidè applicata majori cum effectu solent operari. Erunt ergò hæc medicamenta pro diversis caloris gradibus vel stimulantia, vel attenuantia, vel putrefacientia.

Cor. Causæ hæc medicamenta in actionem completam excitantes sunt calor & humiditas simul, non enim satis est ut in humido solvantur, nisi accedat calor, ut stimulus, hinc in corpore nostro opt. agunt propter ejus calorem & humiditatem. Hæc de medicamentis dicta sunt, quæ in solida agunt, jam de iis, quæ in fluida.





## PARS SECUNDA.

### *De Medicamentis quæ in Fluida agunt.*

**D**I XIMUS jam antea fluidum nostrum considerari posse, vel respectu particularum suarum ultimarum solidarum seorsim sumptarum, vel quantum est massa quædam ex particulis istis conflata. Priori sensu consideratum mutationes 4 subire potest. (1) quælibet particula potest augeri vel minui in solâ mole suâ; (2) hanc vel illam figuram potest recipere; (3) solidior vel minus solida reddi; (4) hoc, vel illo modo moveri. Posteriori verò sensu sumptum potest, vel velociori motu projectili, vel tardiori, ferri.

---

## C A P U T I.

### *De Attenuantibus sive Resolventibus.*

**A**TENUANTIA sunt, quæ vim habent singulas liquidi moleculas in minutiores reducendi; eademque

dicuntur resolventia quatenus liquidorum moleculas præternaturaliter coalescentes resolvendo in naturalem reducunt statum. Utraque ergo semper agunt dividendo. Divisio autem dupliciter tantum fieri potest; nempè,  
1. Cùm corpus dividens se in dividendi poros insinuat, ejus partes ab invicem secernit. 2. Externo attritu diversorum corporum.

Prius non fit, nisi à fluidis, aut ab iis quæ fluidorum indolem habent; posterius locum habet in omnibus iis, quæ motum in liquidis nostris excitare possint. Notandum verò medicamentorum vires non solâ ratione, sed & experientiâ teste determinandas, ne in errores incidamus, ut solent ii, qui ex fluiditate spiritûs vini colligunt eum attenuandi vi esse præditum, cùm tamen sanguinem celeriter coagulat, ut docet nos experientia. Hâc positâ cautelâ, attenuantia sunt ergo, omnia illa naturalia, quæ nisum particularum ad cohærendum tollunt: Iste nisus à duplice causâ oriri potest, nempè à vi particularum attractrice, quæ singulis materiæ particulis inesse videtur, sed tamen non adhuc satis cognita & explicata est. 2) A causâ externâ pre-

mente. Sic duo specula optimè polita , sibi invicem imposita , adeò vehe- menter ab aëre premente versùs invi- cem urgentur , ut non nisi vi satis magnâ sejungi possint. Hoc in loco considerabimus particularum in se in- vicem nisum tanquam à causâ poste- riori solummodo profluentem , ideò- que particularum ab invicem secessus , qui attenuatio vocatur , fit solummo- dò ablative ponderis prementis ; in corpore verò nostro illud pondus nil aliud est , quam multi liquidi in loco aliquo angusto congestio , undè partes in se urgentur.

Optima ergò in hoc casu attenuan- tia sunt hæc , nempè , 1. Evacua- tiones , ut vasorum sanguiferorum deple- tio , salivatio , diuresis , alvi dejectio , &c. Demptâ enim fluidorum parte , parti in corpore relictæ major conce- ditur libertas sese movendi , ut & cæ- teris attenuantibus aditus paratur. No- tandum verò quod licet vasorum san- guiferorum depletio debita ad sanguini- nis attenuationem conferat , nimia ta- men eandem impedit ; quoniam in hoc casu vasa sese contrahere nequeant eousque ut sanguinem contentum pro- pellant : undè fit ut sanguis stagnet &

114 *De Attenuantibus*

coaguletur. 2. Diluentia omnia , quæ particularum interpositione corpora à se invicem disjungant.

Talia sunt 1°. aqua , quæ omnium optimè diluit. 2°. omnes sales alcalini mites & volatiles , ut spiritus cornu cervi sanguinis , urinæ & ex animalium partibus parati. 3°. omnes sales alcalini fixi plantarum incineratarum , non admodùm acres , ne rodant. 4°. sales volatiles ammoniaci omnes , qui constant sale volatili & acido unitis , ita tamen , ut alcalinum , non acidum prædominetur , alias enim coagularent. 5°. sales omnes volatiles oleosi acres , ex sale volatili & oleo combinati. 6°. omnes sales fossiles , ut sal marinus , nitrum , borax , non verò metallici , ii enim incrassant , quia constant ex terrâ in acidis solutâ. 7°. Omnes sapones artificiales , qui , nullis exceptis , semper resolvunt , & attenuant , ut & sapores naturales plantarum , i. e. succi earum aromatici. 8°. extracta ex his facta , & tandem vina omnia , modo acidum in iis non prædominetur.

3. Omnia , quæ per attritum minuunt partes liquidorum , & hoc dupliciter potest fieri , nempè. 1) Ab aucto intestino fluidorum motu. 2) Ab auctâ

solidorum vi. Motus intestinus fluidorum modis 4 augetur.

1. A calore, sed reverâ parùm admodum hîc efficit, quia nativus noster calor non est causa, sed effectus attritus fluentis liquidi; calor verò artificialis, si magnus sit, exsiccat; si parvus, effectu caret; & quidem humidum calescens hîc solummodo ex usu esse poterit, ut balnea, fôtus, &c. sâpenumerò autem accidit, ut cum benè temperata sint, ratione statûs ægri coagulent, non attenuent. 2. Ab effervescentiâ; talis autem, prout à Chemicis definitur, nempè, quod sit pugna salium oppositorum inter se cum magno calore & effervescentiâ, in nobis fieri nequit; uti nec ea, quæ fit inter spiritus acidos & oleum, ut inter spiritum vini & spiritum nitri, nec ea, quæ fit inter terrena & acida.

3. A fermentatione; ast nec illa in nobis fieri potest, desunt enim requisita ad fermentationem; imo & ejus effectus, nempè spirituum ardentium productio, ii enim in nostris liquidis nunquam deprehenduntur.

4. A putredine, sed cum hæc non nisi in liquidis corruptis, aut saltem jamjam corrumpendis obtineat, si foret

in corpore nostro , destrueremur. Omnes hæ quatuor denique causæ , excepto humido calente , in corporibus nostris ad attenuationem liquidorum nihil conferunt.

5. Motus solidorum dupli modo augetur , nempè per ea , quæ vi exterrâ oscillationes magnas excitant , vel per stimulantia interna. Huc itaque pertinent frictiones , quæ comprimendo & laxando alternatim vasorum superficies , motus & attritus augent. 1. Cor: Ergò patet actionem attenuantium & resolventium non tam facilè concipi ac determinari posse , ac nonnulli imaginantur. Miramur sæpenumerò cur levis inflammatio non nisi difficulter dissipetur , ut & cur sanguis à contusione effusus & coagulatus diù hæreat , cùm tamen hujus ratio sit quòd medicamenta agere debent in istam potius partem affectam , quàm in totum corpus : undè verò determinationem in istam partem possunt accipere ? Ponamus enim quempiam ad attenuandum sanguinem in quavis corporis parte concretum sumpsiſſe 3 ſl. cuiuslibet ſalis volatilis ; hæc quantitas miſcetur cum totâ sanguinis massâ , quæ ad minimum eſt 30 libr: quantilla ergò pars , quæ circula-

tionis lege ad partem affectam perva-  
tura sit. 2. Cor. Ergò Medici pruden-  
tis est, præcavere potius ne sanguis in  
coagulum abeat, quam eundem jam  
coagulatum resolvere conari.

---

## C A P U T I I.

*De Incrastantibus & Condensantibus.*

**I**Ncrassans, sive condensans est, quod liquidorum particulas tenuiores expellens, crastores arctè magis inter se compingit. Experimentis in Angliâ factis constat, quod corpora præter partes suas solidas multos habent meatus, qui physicè pro vacuis haberi possunt, quique corpori ingredienti resistunt. Ergò incrassans agit minuendo istos meatus, quod fit compressione partium solidarum, ita ut proprius ad se invicem accedant; hocque fieri nequit quin simul particulae liquidiores & tenuiores exprimantur. Incrastantia sunt. 1º. Omnis calor satis vehe-  
mens, sive à foco, sive à sole, sive à frictione ortus. Hujusque effectus est, movere liquida, ac proindè augere attritum ad yasa; undè sequitur expulsio

liquidissimorum , relictis crassioribus & minus mobilibus , quæ tūm coeunt , adeoque nullum liquidum in corpore nostro est , quod ad ignem non insipissetur ; ergo calor liquida incrassat ; quod verò eadem aliquandò dissolvit , id efficit agendo in solida , eaque stimulando , fluida verò immediatè per se nunquam attenuat , imò stimulatio ne finitā , tandem fit inspissatio . 2° . Omnis motus muscularis nimis vehemens ; is enim secretionem sanctorianam primò auget , deindè specie sudoris expellit lympham , & quod exprimi non potest , inspissatur ; idem motus aliquandò attenuat , modò non sit vehemens ; id verò facit quatenus vim nervorum contractilem auget , eorumque actionem in fluida promovet ; si motus hic muscularis nimis exercitatus sit , tūm monente Hippocrate , sanguis quasi assatur , oriturque Causus , nisi aquæ potu præcaveatur . 3° . motus sanguinis circulatorius nimis vehemens ; ille enim auget applicationes particularum ad vasorum superficiem , nam , ut velocitas fluidi ab velocitatem , ita applicatio dicta ad applicationem ; si itaque duplo velocior sit motus projectilis , cæteris

paribus , duplo major quòque erit derivatio versus lateralia vasa , quæ cùm rectis minora sint , liquidissima sola , eaque satis largâ copiâ admittent ; undè particulæ , quæ recte feruntur , inspissabuntur & quasi solida fient à vi vitali pone urgente : motus hic etiam aliquandò attenuat , sed non nisi interim multùm bibatur , ut amissum restituatur . 4° . Omnis motus excretorius nimis auctus , quia scilicet liquidissima nimium extrâ corpus derivantur , ut fit in nimiis sudoribus , purgationibus , diabete , &c. 5° . Quælibet causa externè vasa comprimens ; hæc enim liquidissima expellit , prout apparet in iis qui fodinas , ubi pressio aëris magna est , ingrediuntur ; primò enim frigent , quia transfluxus per extrema minima vasa aliquantulum impeditur ; paulò post sudant non à loci calore , ut docet Thermometrum , sed quia vis cordis manet , vasorum tamen capacitas imminuitur ; quapropter eadem liquidi copia per canales jam angustatos transmittitur , undè major fit motus , & attritus , & consequenter sudor .

6. Omne medicamentorum genus , quod potest præcedentia , vel excita-  
re vel augere , qualia sunt omnia sti-

mulantia, sudorifera, emetica, &c.  
quorum abusus liquida inspissat. Hinc  
in morbis à crassitie humorum pen-  
dentibus infelix sequitur effectus, si  
sudorifera adhibeantur, cum diluen-  
tia tantum indicentur.

1. Cor. Omnia remedia, quæ san-  
guinem ad datum gradum inspissant,  
corpus nostrum corroborant, & ad  
longævitatem disponunt. Si enim de-  
bita sanguinis crassities absit, liquida  
nimis uberi copiâ in vasa lateralia  
derivantur & à corpore secedunt; undè  
perit robur, quod consistit in magni-  
tudine venarum & arteriarum, & de-  
bitâ sanguinis per illas fluentis crassi-  
tie & firmitudine, ut in sanguine rus-  
ticorum venæ sectione educito constat.

2. Cor. Ubi sanguis nimis tenuis  
est, valido muscularum motu denuò  
compingi & incrassari potest, ut in  
Phthisicis observare licet.



---

C A P U T III.

*De Acrimoniam inducentibus.*

**P**er acrimoniam intelligimus eam corporis figuram, cuius ope vim suam mechanicam secundum exiguum superficiem alteri corpori applicare potest. Corpora acria possunt esse infinita ratione figuræ; possunt enim esse, vel conica, vel pyramidali, &c. sic gladius, culter, planum inclinatum, cuneus, &c. sunt corpora acria. Vis, sive potius momentum illorum, sicut & omnium corporum, dupliciter considerari potest, nempe vel absolutè, vel specificè: momentum absolutum illud dicitur, quod habetur ex velocitate corporis in ejusdem pondus ductâ; specificum verò desumitur ex resistentiâ ad momentum absolutum consideratâ: e. gr. si sint duo corpora, quorum unum habet unum ponderis gradum, & velocitatis unum; alterum verò duos ponderis gradus, & totidem velocitatis; momentum absolutum primi erit ad momentum absolutum secundi, ut velocitas primi in suum pon-

F

122 *De Acrimoniam inducentibus.*

dus ducta ad velocitatem secundi in suum pondus ductam; i. e. ut 1 ad 4. Si jam supponamus hæc corpora in alia resistentia eâ lege impingi, ut resistentia, quam secundum invenit, sit quadruplo major eâ, quam invenit primum; eorum momenta specifica sunt æqualia; quod si resistentia secundi majori adhuc ratione excedat eam primi, tum momentum specificum primi momentum specificum secundi excedet. Hinc quò minor est superficies resistens, in quam particula aliqua acris impingit, & quò plus ponderis & velocitatis habet particula, eò major erit illius effectus. Omne corpus blandum acre fieri potest, & è contra. In nobis autem acria duplia esse possunt, nempè vel ibi nata, vel extrinsecus illata.

Blanda acria fiunt dupliciter. 1) mutando figuram. 2) removendo involuera, in quibus acria involvuntur. In statu sano nulla ferè in nobis sunt acria; nam si quæ sint, statim extrah corpus eliminantur, ut bilis & urina. Ergo innata acria his ceduoibus exceptis, nulla. Aquosa enim pars, quæ maximum liquidorum partem in nobis constituit, nunquam fit acris, ut patet in

*e Acrimoniam inducentibus.* 123  
destillatione sanguinis. Partes terrestres  
in nobis ferè nunquam mutantur in  
acria, saltem nondùm experimentis  
hoc fieri constat; quandòque in cal-  
culo oriuntur particulæ acres; hæ  
verò sunt particulæ salinæ cum terre-  
nis commixtæ, adeòque in aliis parti-  
bus quærenda sunt acria. Oleum nos-  
trum materia est blandissima, vulneri-  
bus enim instillatum lenit, idem verò  
facilè mutatur in acre, si enim quis  
multùm olei sumperit, brevi ructus  
nidorosos emittet, & mutabitur oleum  
in substantiam acerrimam ossa aduren-  
tem & ulcerantem. Sales etiam acer-  
rimi fiunt, si nimio motu & calore  
atteruntur, & triplici de causâ acres  
evadunt. 1. Omne quod sanguinis ve-  
locitatem & consequenter attritum au-  
get, mirificè in nobis sales acres pro-  
ducit. 2. Quicquid liquida attenuat,  
sales plerūmque acres facit, indè enim  
multiplicantur anguli, à quibus acre-  
do pender. 3. Omnis modus resolutio-  
nis idem facit; partes enim, quæ con-  
creverant, resolutæ & à globoso con-  
textu liberatae acrescunt. Acre etiam  
oritur in nobis ex putrefactione, quæ  
stagnationem sequitur; per calorem  
enim & motum viciorum vasorum

F ij

fit attritus in stagnante humore , & figurarum indè mutatio. Acre in nobis oritur triplex. 1°. Acidum acre , quod fit stagnatione cibi ex vegetabilibus , quæ si diù maneant in ventriculo , acer- rimi evadunt , nisi simul aliquid ex animalibus commixtum fuerit ; lac verò etiamsi humor sit animalis , ex- cipiendum , nam & illud in ventriculo sæpiissimè acescit. 2°. Acre oleosum. Omnia enim corporis nostri liquida , si modò calori alicui , qui corporis nostri calori æqualis est , exponuntur , dissolvuntur , & ingentem fætorem con- cipiunt ; i. e. putrescant ; quæ putre- factio à sale volatili & oleo procedit ; nam si indè destillaveris sal & oleum , quod remanet , erit insipidum & ino- dorum ; & si oleum à sale liberatur , non amplius fætet , undè patet oleum putrescentiam suam à sale habere , qui tandem dissolvi debet , ut fætorem ex- citet. 3°. Acre alcalinum: Acria , quæ externè in corpora nostra adferuntur , sunt diversa , scilicet , (A) Fossilia & mineralia , quæ integris viribus corpus ingrediuntur & non facile muantur , ut sal gemmæ , borax , ammoniacum veterum , vitriolum , nitrum , omnia salia metallica ; huc pertinent quòque

*De Acrimoniam inducentibus, 123*

terrestria, ut alumén, nec non falso dicit̄ olea, ut oleum petræ. B) Acida acria, quæ vel volatilia sunt, vel naturalia, ut omnes succi fructuum horæorum; scilicet Cerasorum, pomorum, &c. vel arte facta, scilicet per fermentationem; sic ex musto fit vi-num, ex eo acetum, hæcque acria levissima sunt. Fixa verò ponderosiora sunt, hinc acriora, quò enim acidum ponderosius est, eò est acidius, ut patet ex aceto & oleo vitrioli; illius enim pondus ad hujus est, ut 1 ad 3. Fixa acida sunt omnes sales fossiles in liquamen conversi, ut oleum vitrioli, &c. C) Alcalia acria, quæ, vel volatilia, vel fixa sunt, quæ terram habent adjunctam, aquâ liberata sunt volatilia; hinc fixa acriora, quoniam ponderosiora. D) Oleosa acria, quæ, vel expressa, vel distillata sunt; priora ex se semper sunt blanda, tempore verò acria sunt. Posteriora omnia ferè sunt acria, quæ si in nobis non digerantur, seu viribus vitæ superentur, sunt acerrima, ita ut instar ignis urant; hæc simul acria & tenacia sunt, huc pertinent spirituosa, qualia sunt omnes spiritus fermentati, qui acerri-mi sunt, ut patet ex spiritu vini. E)

F iij

126 *De Acrimoniam inducentibus.*

Sales ex vegetabilibus sunt, vel essentiales, ut mel, manna, saccharum; vel artificiales, qui ex succis plantarum maturarum succulentarum expressis, &c calore inspissatis, frigoris vicinoguntur in crystallos in aquâ solubiles, qui omnes inertiores sunt; vel sunt fermentatione producti, ut tartarus, qui post depurationem vini lateribus vasorum adhaeret. F) Omnia acria aromatica, quæ oleo & sale acti conjunctis abundant; hæc calida sunt, odora, saporis acris, ut piper, zingiber, cepa, allium, cinnamomum, cassia lignea, caryophylli, nux moschata, cardamomum, galanga, mace, nostra Europæa aromatica, quæ omnia stimulando agunt, & si nimia copia sumantur, adurunt ventriculum & reliqua viscera. G) Omnia dolorem excitantia, de quibus in Cap. de solventibus.

---

C A P U T I V.

*De Demulcentibus.*

D Emulcentia sunt, quæ humorum nostrorum morbosorum particulas acres obtundunt, non figuras earum mutando, sed solummodo involvendo,

& quasi in capsula includendo ; sic vagina continens acus , cultos , aliavè instrumenta acria dici potest illorum acredinem demulcere. Demulcentia sunt , vel generalia , quæ omnium acrīum genera , qualiscunque sint naturæ , ex æquo involvunt , vel specifica , quæ certam acrīum speciem.

Classes Demulcentium generalium sunt.

1. Omnia oleosa , his 4 capitibus contenta ; nempè. 1 ) Olea ex seminibus farinaceis maturis recenter expresa , ut ex amygdalis , avellanis , seminibus 4 frigidis majoribus & minoribus , papavere , &c. 2 ) Omnia infusa aquosa ex leguminibus farinosis in tenacem mucilaginem redacta , uti ex semine hyperici , liliorum alborum , solani , violarum , trifol: odorati , verbasci , semen pomorum Cotoneorum 3 ) , unicum oleum stillatitium non acre , scilicet oleum ceræ. 4 ) Olea animalium nativa , ut butyrum recens , tremor lactis , pinguedines secretæ & collectæ , imprimis animalium medulla , it: pinguedines circà ossa ; præsertim circà mesenterium collectæ , & circà renes ; sic & gallinarum , anserum , anatum , &c. pinguedo. Hæc

F iiii

demulcentia usum habent optimum; ubi signum multæ acredinis adest, imò venena acerrima hisce enervari possunt; internè sumuntur, multumque prosunt, ubi sanguis multis particulis acribus plenus est, sic in scorbuto pessimo, si æger, licet lanquidissimus, assumat jejuno ventriculo, repetitis vicibus, cremorem lactis, butyrum recens, &c, quæ optima est, medullam animalium, mirabiliter curabitur; sic & illis, quibus ossa adeò arida sunt, ut non sinè strepitu moveri possint, assumpta medulla plurimum confert; sic & in Arthriticâ vagâ Rheumatismo dictâ, nil magis juvat quam oleum lini ad ȝij sumptum quolibet manè.

2. Omnes plantæ insipidæ, inodoreæ, maturæ, ex quibus non habetur oleum, sive formâ emulsionis, sive infusionis, sive decocti, sive pastæ aliquujus assumptæ. Qui olea cruda primæ classis numero primo contenta ferre nequeunt, hæc assumant; in his enim partes oleosæ aliis involutæ latent, operantur partim ratione sui glutinis, quod acria investit in corpore nostro, partim ratione tecti olei. Talia sunt decocta Althææ, borraginis, malvæ,

omnium graminum , brancæ ursinæ , mercurialis , parietariæ , violarum , verbasci , liliorum alborum , cucumerum , peponum , melonum , citrullorum , lactucæ , papaveris , nymphæarum , symphyti , semina cydoniorum , succus fragorum : Horum præparationes omnes sunt demulcentes , & parùm refert , quales sint ; sic solâ lactucæ assumptione curatur phthisis . Notandum autem hæc non prodesse ubi acre est lentum & inspissatum , sed in acribus calidis , in quibus plurimum juvant ; undè veteres contrâ venena præscripsere lactucas , malvas , cucumeres , &c.

3. Omnia semina , ex quibus exprimi potest oleum , & indè fieri pulles sive emulsiones ; talia sunt amygd: pistac: hordeum , avena , triticum , secale , oryza , milium , juglandes , aveliana , semen peponum , citrullorum , liliorum , nymphæ , lini .

4. Gummi viscosi & insipidi , imprimis gum: tragacantha , cerasorum , pomorum , pyrorum , &c. in aquâ soluta ; optimè enim hæc operantur , & etiam mictum cruentum in variolis placidè curant .

1. Omnes animalium sanorum par-

tes succulentæ & concrecentes (exceptis bile & urinâ) omnes enim, vel oculo, vel vulneri absque doloris sensu ad moveri possunt; omnes itaque gelatinosæ partes, quæ ex animalibus coctis habentur, profundunt; ova enim, carnes & omnia nostra solida (demptâ pinguedine) in gelatinam redigi possunt; suntque gelatinæ nil aliud, quam succi nutritii ex solidis, coctionis vi, expressi, ut ex cornu cervino patet; post coctionem enim nil inde refert præter caput mortuum; sic caro ad consumptionem humidi cocta, si modò destilletur, nil præbet præter oleum empyreumaticum; decocta & gelatinæ tendinum, membranarum, intestinorum, viscerum, sunt demulcentia: quapropter innumeri morbi à sola acredine orti diatâ ex hisce jusculis facile curantur.

Classes demulcentium specificorum sunt. 1°. Omnia absorbentia, terrestria dicta: quorum nonnulla, licet ob figuram pro lalentibus & vulnerantibus aestimanda sunt, attamen demulcent, quæ acri acido occurrentia, illud absorbendo enervant; sic chalybis limatura, et si spirula habet acria, ramen oleum vitrioli energet. Acidi ab-

sorbentia sunt, oculi cancrorum, testæ calcinatæ, corallia, magaritæ omnes, omnia ostracodermata, mater perlatum, omnia piscium ossa, omnes calces ab animalium partibus combustis restantes; hæc omnia acida absorbent, & eis juncta tertium dulce corpus constituunt; huc pertinent lapides nonnulli, ut bezoar, lapis hystericus, *pedro del porco* dicitur, qui quatenus insipidi, nullam aliam habent vim, quam demulcendi; sed si adsit sapor, tum aliâ ratione agere possunt, sic lapis hystericus quia naturæ est saponaceæ, stimulando agere potest, sed nil specifici habet præ cæteris stimulantibus. Acida quòque absorbent omnes terræ nativæ, ut argilla, cretæ omnes, bolus armena, &c. item calces nonnullæ metallorum, marcasilitæ, chalybs, plumbum, stannum in pulvrem redacta: Hæc imprimis acidis imponuntur; his venena maxima & acerrima demulceri possunt; sic mercur: corrosivus cum limatura chalybis multùm contritus innoxius evadit: sic & vitriolum, quod chalybe saturatum est, medicamentum est innocuum; sic lapis infernalis omni suâ vi causticâ per chalybis limaturam vel similem privari

F vj

potest, imò si cum oculis cancrorum conteratur, 2o. Omnia acida, respectu alcalicorum sunt demulcentia, licet per se considerata acerrima sint: Talia sunt, 1) succi recentes fructuum maturorum & acidorum; ut sunt cerasa, mespila, uvæ, pyra, mala, ribesia, mora, &c. quæ medicamenta præstantissima sunt in iis morbis, ubi alcali patet, ut in peste, variolis, morbillis, febribus ardentibus, &c. 2) serum lactis subacidum, lac ebutyratum, lac ipsum acescens; hæc alcali sivè fixum, sivè volatile obtundunt; sic Tulpius observavit diarrhæam pessimam ab alcali bilis prædominantib[us] ortam, solo usu lactis ebutyrate sanata[m] esse; ab hujus etiam frequenti haustu tertianam curatam observatum est. 3) Omnia fermenta acida ex omnibus fructibus horæis, sivè ex farinaceis, parata, acetosa dicta, hæc potius dissolvunt quam coagulant; hinc vina mosellana & rhenana sunt optima in iis morbis, in quibus sitis intensa & bilis admodum vitiata, addito spiritu salis ammoniaci pauxillo. Huc pertinent acida destillata & fermentata, & tartarus crudus, qui est acetum siccum. Huc pertinent & pul-

tes per aliquot dies in calore reten-  
tæ , indèque aceſcentes. 4 ) Om-  
nia acida ex fossilibus ponderosiori-  
bus : hæc plurimùm alcali absorbent ,  
antè absorptionem verò multùm cor-  
rodunt , suntque vel nativa , ut petro-  
leum , vel arte facta destillando , ut  
spiritus salis matini , sulphuris , vitrioli ; hæc alcali saturata corpus blan-  
dum constituunt , ut liquet ex tartaro  
vitriolato.

3. Omnia alcalia respectu omnium  
acidorum. Per alcalia vulgò triplicia  
faliū genera intelliguntur , nempe ,  
1 ) omnia salia fixa ex vegetabilibus  
crematis extracta ; hæc maximè roden-  
tia sunt , sed omni acido opposita , &  
post conflictum cum illis blandissimum  
corpus constituunt. 2 ) omnia salia  
alcalina volatilia ex vegetabilibus post  
plantarum putrefactionem destillatione  
facta. 3 ) Sales volatiles alcalini ex ani-  
malibus destillatione educti , & urino-  
si dicti ; omnes animalium partes pu-  
trefactæ talem exhibent salem fætidum  
alcalinum.

4. Omnia spirituosa ardentia, respec-  
tu acidorum; sic alcohol vini cum acido  
aliquo spiritu , ut nitri , aut vitrioli  
spiritu , aut salis , aut aquâ forti di-

gestum, vel destillatum eorum aciditatem destruit.

Hicce jam consideratis, patet quænam sint antidota mechanicorum ( sive Chimicorum ) venenorū; per quæ intelligimus omnia illa, quæ ratione figuræ & motūs effectus suos producunt, ut sunt vitra contusa, crystalli, metalla, quorum antidota ea sunt, quæ sunt apta ad venena ista involvenda. Alia sunt venena quæ coagulando agunt, de quibus postea.

## C A P U T V.

### *De Immutantiis.*

**I**mmutantia sunt quorum ope particularum fluidum componentium figuræ ita mutantur, ut indè magis, minusve ad pungendum aptæ evadant. Immutantia multa esse censentur, cum paucissima sint, & reverè attritus solidorum in fluida contenta videtur esse sola atque unica causa efficiens immediatæ mutationis figuræ in particulis istorum fluidorum; quæ enim mutationes fieri solent, in fluidis ab effervescentiâ aut fermentatione, locum

non habent in corpore nostro, ut antea dictum est. Per dictum attritum fiunt, nempè 1. Particulæ lentiores, hebetiores, & crassiores impinguntur cuspidibus aliarum partium ; undè fit, ut rigidiores particulæ flexilioribus involvantur. Hinc patet ratio, cur sales in nobis ita mutantur, ut post horas 24 omnem suam acredinem deponant. 2. Partes maximè flexiles, maximè mutantur. Tales enim maximâ donantur superficie, & minimâ soliditate, adeòque minimam habent resistentiam, i. e. particulæ angulosæ maximè mutabuntur, anguli enim abradentur, & ex angulosæ evadent globosæ & obtusæ. Attritus hic variatur pro variâ celeritate circulationis fluidorum in nostro corpore, ideòque immutare liquida est immutare gradum velocitatis circulationis. Jam verò quærendum est quinam velocitatis gradus ad hanc, illamvè mutationem inferendam sufficeret ? ad hoc solvendum ponamus aliquem varia sempissime ciborum & potalentorum genera, ut carnes salitas, acida, &c. si regularis sit motus circulatorius, omnia illa ingestâ blanda reddet & innocua, si verò motus ille à quâlibet causâ, ut à febre augeatur, ex iisdem

ingestis fiet massa crassa , depravata , & ad putredinem vergens. Hinc concludimus , 1° . motum lenem & æquabilem omnia blanda producere , motum minorem solito fluida , præcipue chylum , in materiam acidam convertere ; sic in pueris & infantibus , nec non in fæminis phlegmaticis , & nimis quiescentibus morbi sœpius ab acido ; hinc que juvantur salibus volatilibus , chalybeatibus , absorbentibus , &c. 3° . Ex velocitate nimis auctâ omnes particulas acquirere acredinem , eamque quam alcalinam volatilem vocant.

---

C A P U T . V I .*De Diluentibus.*

**D**iluentia sunt , quæ fluido permista partes ejus magis fluidas reddunt , ita tamen ut eas non immutent. Fluidum vocatur ea massa , cuius minimæ particulæ sunt sibi invicem continuæ , & tamen facile separari possint. Fluidius ergo reddere est , facere ut minori vi partes ab invicem sint separabiles. Hoc tamen dupliciter fieri potest , nempè primò particulas

singulas in minutiores dividendo, qui modus non est hujus loci. 20. diluendo, sive aliud admiscendo, quod hasce debet habere conditiones, 1) quicquid diluit, debet esse fluidum, 2) debet esse fluidius humore diluendo, 3) debet post miscelam fluorem suum retinere.

Corpus hisce tribus conditionibus praeditum, praeter aquam, nullum est, dicitur quidem vinum diluere; ejus verò vis diluens pendent ab aquositate suâ vi stimulanti conjunctâ; olea massam potius immeabilem reddunt; spiritus fermentati plerumque massanî coagulant, non diluunt; sales sunt solidi, adeoque non habent diluentium conditiones, sed stimulando attenuant; terra quoque solida, & iners est. Ergo si diluendum est, aquâ uti oportet.

1. Theor: aqua calore adjuvata diluit magis; hinc aqua calida optima. 2. Theor. Particulæ salinæ stimulando aquæ calidæ actionem multùm promovent; ergo si sumamus salem marinum, polychrestum, ammoniacum, vel boracem cum aquâ effectum dilutionis optimum obtinebimus. 3.) Theor. motus respirationis auctus, nec non voluntarius summa sunt adminicula;

hinc ubi citâ dilutione est opus, ut in plenitudine, peripneumoniâ, &c. Ægri quantum possunt, respirent; nam præter effectum pulmonis moti proprium, nempè humorum attenuationem, insuper eâdem ratione comprimuntur ventriculus & intestina; undè aquæ diluentis citior indè expulsio, & in vasa lactea derivatio; hinc quòque ductus chyliferus magis per vices premitur; undè aquæ per eundem fluxus acceleratur; sic quòque motu muscularum seu voluntario augetur trajectus liquidorum, quod maximi est usûs in morbis chronicis, ubi constat liquida incrassata esse; hinc qui talibus affecti sunt morbis, saltent, gradiantur, ambulent, & omnes vehementes motus exerceant, iteratâ interim aquæ potatione, multò enim melius indè habebunt, ut ex equitatione, vectione in rhedâ, & similibus.

## C A P U T V I I.

**C**OAGULANTIA sunt, quæ partes fluidum constituentes in massam strictam & concrecentem mutant, ita ut

multæ particulæ sub unâ superficie moveantur. Hoc dupliciter fieri potest , nempe expellendo particulas fluidissimas quæ cæteris interjacent. 1 ) uniendo partes inter se , scilicet inter fluidi partes quiddam interponendo , quod eas inter se necitat , ita ut in majores abeant moles , & amplius fluere non possint , quæ sanguinem hoc modo coagulant semper perniciosa sunt , & intrâ corpus admitti vix queunt , quin statim mortem accersant.

Classes medicamentorum , quæ fluidum nostrum primo modo coagulant , sunt 2. nempe . 1. Experimentia sive expellentia propriè dicta. 2º. Absorbentia , quæ liquidum intermedium tenuius intrâ poros suos accipiunt ; undè reliquum crassius evadit. Priora humorum nostrorum copiam minuunt , posteriora augent ; sed hæc non adeò facilè in nobis operantur , ac nonnulli imaginantur : assumpta enim lactea ingredi nequeunt. Coagulantia primæ classis sunt inter vegetabilia omnia , ea quæ cum martis vitriolo commissa tinturam nigrā & tetterimam solent producere ; e. gr. gallæ , quæ cum liquidis nostris mistæ , ut & cum lacte , albamine ovorum , salivâ , eadem coagu-

lant; sit succus rosarum rubrarum recenter expressus, ita succi ferè omnes immaturi, nuces juglandis, præsertim earum cortices, cortex & flores granatorum, succus Acaciæ immaturus mespillorum, omphacii, ribesiorum, cotoneorum & similes plurimi succi ore retenti salivam coagulant, & si tales quales sunt, sanguinem attingant, ut si venis injiciantur, eum coagulant, & polypos in corde & arteria pulmonali producunt, eorundem verò nonnulli, si maturi sint, attenuant aliquantulum. 2. Spiritus acidi fermentati, præsertim si habeant vires maximè concentratas, i. e. ad summam si sint deducti aciditatem; nam acida simplicia, siè diluta, ut acetum simplex non coagulant, sed potius diluunt. 3. Omnes spiritus fermentati ardentes ad eam subtilitatem perducti, ut mereantur nomen alcohol, siè ut pulverem pyrium accendere possint; hi ex omnibus vegetabilibus haberi possunt ope fermentationis primò ad vinositatem ducentis, dein ad acetum; si enim destillatio fiat antequām aciditas supervenerit, fit spiritus inflammabilis, qui ipsam salivam coagulat; hinc pessimè agunt Practici

commendantes hoscè spiritus in nimiâ humorum tenacitate.

Inter fossilia coagulant 1. sales vitriolici, ut sunt vitriola martis, plumbi, lunæ, cupri, mercur: item, alumnen, & mercur: sublimat: si tam parva quantitate sumantur, ut solummodo stimulent, non autem dissolvant, sic lapis infernalis minori quantitate coagulat, majori verò dissolvit. 2. Omnes spiritus acidi è fossilibus violento igne educati, ut spiritus sulphuris, qui, si apertiat, id agit quatenus solida stimulat; hic verò loci consideratur quatenus immediatè in liquida agit, eaque coagulat, si cum iis misceatur; idem efficit spiritus, salis, gemmæ, marini, aluminis, vitrioli, nitri, aqua fort: ex vitriolo & nitro, sive ex vitriolo & alumine, inter hæc maximè coagulant spiritus nitri, & aqua fort:

Omnia hæc duplē in nobis vim exercent, nempè 1) agunt in solida, eaque corroborant, i. e. in contractiōnem stimulant; undè majori distensioni & consequenter cordis actioni magis resistunt; hinc mutuus eorum motus augetur, eorumque actio in liquida nostra major evadit, undè liquidorum attenuatio, fluidissimarum

partium dissipatio, atque inde tandem coagulum. 2) liquidis nostris sufficien-  
ti quantitate permista ea protinus coa-  
gulant; hinc videmus quo modo idem  
solvens & coagulans esse simul potest.

Ad secundam class. coagulantum,  
nemp̄e quatenus absorbent, pertinent;  
1. Omnes terræ exustæ, nativæ, pin-  
gues absque exustione, ut creta, bo-  
lus, terræ, figulinæ omnes, terræ ar-  
gillaceæ, quæ quò plūs exustæ & te-  
nues, eò magis absorbent. 2. Omnia  
testacea in cineres vi aquæ redacta,  
ut conchæ marinæ exustæ, undè calx,  
præsertim chelides cancrorum, ostrea,  
corallia, mater perlarum. 3. Omnes  
partes solidæ & fluidæ animalium ustæ,  
ut ossa, cornua, caro, membranæ,  
&c. quæ in cineres redactæ coagulant  
& stipticæ sunt, ut hepar tostum, san-  
guis ustus, &c. & omnia quæ in ci-  
neres insulso reduci possunt. 4. Calces  
metallorum vehementi igne exusto-  
rum, ut colcothar vitrioli, quod ore  
assumptum ipsam salivam coagulat,  
sic vitriol: martis summō igne rever-  
berati sanguini calidè applicatum eun-  
dem instar lapidis durum reddit,

## C A P U T V I I I .

*De Moventibus.*

**D**Uplex in liquidis nostris considerari potest motus, unus nempe intestinus particularum, quem hinc minimè consideramus, alter, quo fluida nostra per vasa, durante vitâ circumaguntur. Moventia ergo erunt, quæ motum liquidorum per vasa accelerant. Ad fluidi motum circulatorium 4 requiruntur, mempè : 1. Vis cordis in fluidum, ut potè à quâ principium motus dependet; cum autem ea non sit continua, sed interrupta, ne motus pereat, requiritur. 2. Arteriarum contractio, quâ positâ, tūm requiritur. 3. Ipsius materiæ transmittendæ fluiditas, quæ nil aliud est quam facilitas secessûs partium à se invicem absque notabili resistentiâ. 4. Vasorum laxitas, sive libertas, i. e. minima resistentia versùs extrema, ita ut vasa se liberè explicare & distendere possint. Quicquid ergo vires cordis & arteriarum, vel liquidi fluiditatem, vel vasorum dilatabilitatem auget, idem mo-

vens est ; præcipue verò quod cordis vires adauget ; per auctum enim cordis motum , augetur quòque omnium humorum , & inter cætera liquidi nervosi secretio , quod in cor magis copiose influens , ei novas addit vires , undè circuitus magis adhuc permovetur , & acceleratur .

*Classes moventium sunt tres.*

**I.** Class: continet. 1. stimulantia omnia , quæ nervos afficiendo uberiorem spirituum secretionem & fluxum promovent , undè major vis cordis accedit ; sic in morbis languidis , ubi motus circulatorius fatiscit , apoplecticis , &c. solemus nervos vel re ingratâ stimulando , vel pilos extrahendo irritare . 2. Omnia stimulantia laxantia , i. e. quæ vasa dilatabilia faciunt , ut liquida facilè possint admittere , de quibus anteà . 3. Omnia sanguinem attenuantia , de quibus anteà . 4. Omnia , quæ acrimoniam in liquidis generant , de quibus anteà . 5. Omnia diluentia , de quibus etiam anteà .

**2.** Class: continet omnia illa , quæ sanguinis motum per venas accelerant ; inter quæ præcipuum locum obtinet venarum compressio , quæ dupliciter fieri


fieri potest, nempè, 1) partes fricando ab extremis versus cor: huc pertinent balnea. 2) musculos plurimum movendo; hoc multò magis prodest in hydrope, hystericâ passione, pallore virginico, quam plurima medicamenta interna; respiratione enim auctâ, multum augetur sanguinis velocitas, venâ ut potè pulmonali ab aëre in pulmonibus contento subinde compressâ & depletâ; hinc & sternutatio, cantus, tussis, risus in leucophlegmaticis prosunt.

3. Class: continet remedia, quæ vita in fluido hærentia tollunt. Liquidum verò vel copiâ deficere potest, vel crassitie nimiâ peccare; si tanta sit liquidus penuria, ut ejus continuitas in vasis tollatur, necessariò sistetur motus; nam pars antecedens semper pelli debet à parte subsequenti, hanc tamen deficere supponimus; ergò amissum liquidum restitui debet. Hinc in calidis & sudore emaciatis serum lactis plurimum juvat, penuriam scilicet corrigoendo & resarciendo; si liquidum crassitie peccat, adhiberi debent incidentia, diluentia, attenuantia.

## C A P U T I X.

*De Sistentibus.*

**S**istentia sunt, quæ accelerationis causas modò memoratas vel tollunt vel minuunt, ut sunt quæ stimulum nervorum sedant, vasorum versùs extrema laxitatem tollunt, crassitatem sanguini conciliant, tenuiora liquida absorbent, motum muscularum & respirationis inhibent; præterèa sunt nonnulla, quæ nervorum stimulum specificè destruunt, ut opium, ita & in febris intermittentibus cortex peruvianus.



## P A R S T E R T I A ,

*De Medicamentis que agunt in  
Solida & Fluida simul.*

**M**edicamenta, quæ in fluida & solida simul agunt, sæpenumerà varia nomina & diversos effectus serviantur, prout huic, illivè corporis

parti applicantur ; sic radix jalappæ cuti applicata instar vesicatorii agit , eadem glandulis intestinalibus admota , fit merum hydragogum ; si cum theriaca & opio detur , fit sudorificum , quoniam ad interiora pellitur , si vitello ovi admista vulneri externè applicetur , detergens & dolorem excitans evadit ; ita quoque si circà fauces vas aliquod nimis patulum sit , ita ut indè liquidum extillat , China in pulverem redacta eidem succurrit .

Medicamenta tam in solida quam in fluida agentia satis commodè ad duas classes reduci possunt .

1. Class: Hæc continet ea omnia , quæ circulationem sanguinis promovent , item & illa quæ eandem retardant & debilitant , quorum omnium modò mentionem fecimus . 2<sup>a</sup>. Continet ea quæ secretiones promovent , qualia sunt sequentia .

---

## C A P U T I.

### *De Galactophoribus.*

**G**Alactophora sunt , quæ lac generant ; qui à sanguine per glandulas mammatias secerintur , prout indè  
G ij

clarè constat , quod si nutrix jejuno  
stomacho colorati vel odorati liquidi  
bibat , post horæ quadrantem lac ejus  
eodem utcunque colore & odore infi-  
cietur ; porrò si per 12 horarum spa-  
tium à cibo & potu abstineat nutrix ,  
ejus lac adeò serosum , sive urinosum ,  
ob novi clyli defectum reddetur , ut ab  
eo planè abhorrebit infans . Hinc patet  
quænam in nostro corpore lac produ-  
cant , nempè , 1 ) omnia quæ chylum  
generant copiosum , qualia sunt , 1 )  
Lac recens sive dulce , præsertim si fa-  
lis & sacchari pauxillo condiatur ,  
sæpè contigit , præsertim apud lautè  
viventes , matres ob defectum lactis à  
nimis frequenti carnium usu ortum ,  
infantes suos non potuisse lactare ,  
utentes verò hoc præscripto lætas red-  
ditas fuisse suorum infantium nutrices ,  
ut experimentis constat . 2 ) Cremor  
lactis recens & dulcis , præsertim si  
lac nimis aquosum sit . 3 ) Prisanæ om-  
nes crassiores ex hordeo , sive potius  
avenaceis cum lacte coctis . 4 ) Pana-  
tellæ omnes , sive ex lacte , sive ex  
vino , sive ex cerevisiâ ; 5 ) Oryzata  
cum pistaciis & similibus farinaceis ,  
item emulsiones ex iisdem . 6 ) Juseu-  
la carnium non nimis crassa . 7 ) Ova

recentia variis modis parata. 8) Cerevisiæ recentes non diu fermentatæ, crassæ & dulces. Ab his omnibus statim secernitur lac quod post horæ  $\frac{1}{4}$  commodè sumi potest ab infante.

2. Omnia, quæ chylum generatum ad mammae derivant; suntque ea quæ chylificationem promovent, ut 1º. quæ augent stomachi robur, ita ut cum effectu sese contrahat ad liquidi expulsionem. Hinc observandum est an nutritrix depravato laboret stomacho. 2º. quæ fluxum bilis, succi pancreatici & intestinalis promovent. 3º. Omnes muscularum motus, ut ambulatio, labores domestici, &c. quæ omnia chylificationem promovendo lac copiosum ad mammae derivant. 4º. Omnia, quæ lactis effluxum, sive eductionem, promovent, qualia sunt ea omnia quæ vasorum lactiferorum resistentiam minuant. 1) Cucurbitæ. 2) Fomenta emollientia saepius applicata. 3) Frictiones. 3. Suctiones, quibus omnibus si mulieres uterentur, tenellis infantibus lacti propriâ suctione educendo imparibus ex usu foret; Hinc quoque canes recenter nati papillæ butyro oblitæ magnō cum fructu applicari possunt.

Calidiora, quæ hīc vulgo enumera-

rantur, agunt solummodo stimulando, ideoque huc non propriè referuntur. Ex dictis patet nutrices istas aliis præcelere, quibus laxa est caro; chylum quippe æquè laudabilem generant ac robustiores & uberiori copiâ reddunt.

---

## C A P U T I I.

*De Spermatozais.*

**S**permatozœia sunt, quæ semen gerant; ad semen triplex liquidum requiritur, nempè 1°. liquidum Prostatarum, 2°. Vesicularum seminalium, 3°. Testiculorum, quod solum prolificum est, ut constat ex Eunuchis, quapropter seminale medicamentum est quod hujus liquidi in testibus elaborationem promovet, qualia sunt, 1°. Omnia quæ chylum benignum, lac & sanguinem augent; hinc animalia, uberrimo lacte utentia, salacissima sunt. 2°. Omnia medicamenta relaxantia, sive resistentiam in testiculis tollentia, uti sunt fatus, balnea calida, omnia oleosa, ut rutæ, & omnia præparata specie balsami aut cataplasmati scroto applicata; sic etiam cogitationes venereæ,

undē sāpē nocturnae pollutiones. Specificē laudantur præparata ex abrotano, maro odorato, aristolochiâ, calaminthâ, erysimo, eryngio, nasturtio aquatrico & hortensi, dictamno, levistico, origano cretico (undē homines in Creta adeò salaces) nepeta; petroselino, sabinâ, serpillo, thymo. Hæc externè applicata liquidum ibi deducunt. 3°. Omnia, quæ liquida nervosa valdē stimulant, internè sumpta, quæque priapismos producere solent, talia sunt allium, cepæ, porri, nec non omnia quæ in secundâ class. numerantur; sic etiam omnia gummi aromatica, uti myrrha, aloe, galbanum, sagapenum, ammoniacum, bdellium, elemi, tacamahaca, balsamum peruvianum, tolutanum, è mechâ, copaivâ, opobalsamum, ut & opipara, quæ nimiâ copiâ assumpta satyriasis producunt. Vis eorum seminifica indē patet, quòd hominibus à gonorrhœâ convalescentibus propinata seminis stillicidium excitent: ad hanc class: quòque referendi sunt omnes sales, nitro & vitriolo exceptis, ut borax, alum, sal marinus, sales omnes volatiles imprimis oleosi, omnes quòque spones, & omnia diuretica, aquâ solâ exceptâ, ut & olea

G iij

animalium, ut castor, nec non olea, aromatica vegetabilium. Notandum tamen est hæc non propriè semen generare, sed solummodo nervos stimulando secretionem seminis promovere, indèque senibus non danda, ut potè quibus deficit semen & humor nervosus.

Specifica à veteribus laudata, qualia sunt anethum, fæniculum, ciceres, satyron, quæ omnia modo statim dicto operantur, ut testes quòque animalium falacium, hirci, caballi, galli gallinacei, passeris cerebrum, à veteribus commendantur, sed incerta sunt & fortè vana.

3. Class. continet ea, quæ excretiones promovent, qualia sunt quæ sequuntur.

### C A P U T I I I .

#### *De Apophlegmatizantibus.*

**P**Hlegma vocatur lenta illa & subalbida pituitosa materia, quæ fecer-  
nitur in membranâ, pituitariâ dictâ, quæ investit duos magnos sinus ossis frontis, ossa genarum, os cribrifor-

me, cristam galli, fellam turcicam, ossicula omnia narium, nares ipsas, &c. de quâ vid. Schneider, *in tractatu de Catarrhis.* Notandum est quod in nullâ corporis parte vasa sanguifera magis nuda sint, aut nervi minus tecti, quam in hâc membranâ. Et ex situ hujus membranæ clarè patet apophlegmatizantium vim sese in cavitates ossis frontis extendere; undè veteribus dicebantur cerebrum purgantia, quasi ad ipsum cerebrum pertingerent; sed demonstrat Schneiderus nil ex ipso cerebro ad dictæ membranæ glandulas profluere, ast in iisdem secerne materiam quandam à sanguine arterioso, antequam ille ad cerebrum deferatur; undè fit ut magis purus & defæcatus evadat, & reverâ materia ista ubi primò secernitur, tenuis est & ichorosa, brevi verò vi calor, in materiam crassam, mucum dictam, inspissatur.

Medicamenta itaque ad Apophlegmatiz: Classem pertinentia sunt detergentia omnia, diluentia, & stimulantia, ut aquosa, sales, spones, spirituosa, aromaticæ, decocta aromaticæ, sive cum aquâ, sive cum vino, sive cum spiritu vini, & hæc adhibentur, i. specie errhinorum, quæ materiam per na-

res edicunt ; horum usus est optimus, ubi à cancro velue venereâ quid morbi in naribus hæret. 2. Gargarismi, qui è fauicibus materiam educit , hic semper liquidus est. 3. Masticatorii , quod ab ore educit , & plerumque constat ex cerâ, & aromaticis mixtis. 4. Collutorii , sive id fiat per syringem , sive lintermina, aut aliter. 5. Linctuum, qui dum lentè deglutiuntur , fauces stimulant , indèque profundunt. 6. Fumi , qui ex herbis omnibus aromaticis per fistulam aut alio artificio recipitur. Cùm prima species sola per nares purget. 7. verò sequentes per os; hinc phlegmatizantia omnia satis commodè reduci possunt ad Ptarmica , sive Errhina & Sialogoga, sive salivam moventia; Ptarmica , sive sternutatoria, sunt quæ sternutationem procurando mucum è glandulis membranæ Schneiderianæ edicunt. Sternutatio hoc modo peragitatur ; primò valdè dilatatur thotax , undè fit ut aër magnâ copiâ pulmones ingrediatur , qui post aliquod tempus à calore rarefactus magnâ cum vi indè pellitur per angustias narium , ibique dividitur in 6 partes ab ossibus in naso efformatis ; dumque per istas angustias pellitur , violenter in membranam

ruit, mucumque glandulis contentum  
movet, & secum abripit.

Sternutationis ergo hi sunt effectus.  
1<sup>o</sup>. omnium foraminum & cavernarum  
narum expurgatio. 2<sup>o</sup>. expurgatio  
quoque pulmonum. 3<sup>o</sup>. corporis va-  
lidissima concussio. Hinc in morbis,  
ubi liquida nervosa moveri debent, op-  
timè conductit, ut in Apoplexiâ, scor-  
buto lento, nec non in partu difficiili,  
ubi matris vires deficiunt. Sternutatio  
nem diù durans admodùm fatigat, &  
non rarò convulsiones & mortem ipsam  
inducit, hinc mos sternutantes salu-  
tandi.

Duae sunt Errhinorum classes, nem-  
pè 1<sup>a</sup>. continet omnia illa, quæ me-  
chanico modo vellicare possunt mem-  
branam Schneiderianam, ut pulvis,  
pluma, animalcula, sanguis ibidem  
propter obstructionem, sive inflamma-  
tionem accumulatus; undè evenit ut  
incipiente gravedine mucus narum  
maximâ copiâ extillare soleat. 2<sup>a</sup>. con-  
tinet omnia acria tenuia, volatilia, quo-  
rum quodlibet quo acriùs, eò violen-  
tiùs operatur; sic hyssopus levem ex-  
citat sternutationem, satureia paulò  
majorem, graviorem adhuc piper,  
multò graviorem Euphorbium, gra-

G vj

vissimam verò Mercurius sublimatus corrosivus qui homines in actu sternutationis per plures horas detinet, etiam si quantitate admodum exigua sumatur. Sialagoga sunt medicamenta, quæ salivam movent; glandulæ, quæ salivam suppeditant, sunt duplices nempè,  
 1) Glandulæ salivales Stenonianæ, Parotides dictæ. 2) Warthonianæ, ad majorem angulum maxillæ inferioris sitæ.  
 3) Bartholinianæ sub ipsâ linguâ positæ. 4) Schneiderianæ, sive palatinæ, huc pertinent tonsillæ & uvula.  
 5) Glandulæ Malpighii linguales. 6) Nuckianæ oculares, i. e. ad oculum positæ & ductu suo in os hiantes.

Sialagoga ad 3 Classes reducuntur.  
 1<sup>a</sup>. Continet ea, quæ in glandulas modò dictas agunt, qualia sunt, 1<sup>o</sup>. Fos tus, frictus, suetio vel interna vel externa harum partium; hinc Cataplasmata ad Parotides applicata os madere faciunt, & à suetione tabaci os humidum evadit. 2<sup>o</sup>. Omnia apophlegmatizantia modò memorata. Notandum hic summoperè quod hæc medicamenta nunquam morbos curent salivatione, ut plurimi opinantur; non enim salivatio curat luem venereum, sed subsequitur salivatio, quia curari

incipit morbus. 2<sup>o</sup>. Continet omnia illa  
quæ humorem in os derivant fluxum ejus  
in alias corporis partes intercipiendo,  
observatur enim quòd si viscera aliqua  
sint obstructa, ut hepar, lien, pan-  
creas, it. renes, ductusvè intestinales  
os semper madeat; hinc hypochondria-  
ci sputatores sunt dicti, adeòque quod  
lymphæ secretionem in illis locis im-  
pedit, habendum est pro sialagogo, an  
bono vel malo, hīc non quæritur. 3<sup>o</sup>.  
Continet ea quæ massam sanguineam  
solvunt, ejusque sic solutæ magnam  
copiam in os derivant, qualia sunt,  
1<sup>o</sup>. Antimonium eousquè per nitrum  
fixatum, ut non valeat vomitum sive  
alvum movere, sed nauseam solummo-  
dò; hinc enim copiosam salivam in os  
derivat, constat enim quòd omnia vo-  
mitoria, priùsquam ventriculum ad  
contractionem moveant, producunt  
nauseam, quam semper comitatur fau-  
cium humiditas insolita. 2<sup>o</sup>. Mercurius  
qui variis modis in usum venit, quippè  
A) mercurius crudus corpori applicatus  
excitat salivationem, potest verò applica-  
ri, 1) Specie linimenti, ut in unguento  
Neapolitano. 2) Specie fumi; si enim gra-  
na 12 igni imponantur; fumum emit-  
tent, qui si naribus excipiatur, intrà 2 vel  
3 dies salivationem excitabit. 3) Sumi

poteſt internè , ut in pillulis Barbaroſſa ad ſalivationem excitandam , ſed ſolummodo parvâ quantitate , aliàs viam ſibi quæreret per anum . 4 ) multūm , diūque traetari potheſt manibus , indēque excitari ſalivatio , ut nos docet experientia ; Auri fabri enim qui eodem plurimūm utuntur , ſæpenumerò in ptyalismum incident . B ) Mercurius ſalibus per ſublimationem unitus ſalivationem movent ; 1° . Si parvâ doſi internè ſumatur . 2° . Si vulneribus vel ulceribus externè immissus fuerit . 3° . Si naribus attractus fuit .

Ex dictis patet quod quācunque ratione mercurius applicetur corpori noſtro , ſalivationem excitabit , & quidem eundem in nobis producet effectum quocunque modo præparatus , niſi ſumatur cum aliquo , quod ejus diſſolutionem in ventriculo & intestinis & conſequenter transitum per vasa lactea impedit : tūm enim nequaquam ſputum movebit , ſed per anum ē corpore diſcedet , ut obſervare licet in cinnabari , & æthiope minerali , quæ ex fulphure & mercurio unitis & commixtis conſtant . Mercurius omnium liquidorum ponderoſiſſimus eſt : & quoque maximè diſiſus & diſiſibilis eſt , ut pa-

ret ex ejus vi penetrante , quâ omnia corpora præter vitrum permeat ; singulæ quoque ejus particulæ quantumcunque minutæ specificam suam gravitatem reliquorum gravitate majorem , & totius molis ponderi proportionalem retinent, ut à Newtonio demonstratum est. Hinc si mercurius cum aliis liquidis commixtus sit & utrisque motus ab eâdem causâ impressus sit , multò celerius feretur mercurius & diutius motum suum servabit , quâm reliqua liquida : quapropter illius particulæ fluidorum reliquorum particulis minus motis impingentes , easdem , vi quâdam ab excessu velocitatis suæ ortâ , penetrabunt , discident & comminuent , necnon majorem motum iis impriment. Hæc mercurii in alia fluida actio licet pendeat ab ejus soliditate , tanquam à solâ causâ , potest tamen augeri , scilicet eum in minutias redigendo. Tunc enim quælibet particula proportionatam adhuc accipiet agendi facultatem ab auctâ superficie. Mercurius in corpore nostro receptus non agit in fluida , nisi in minimis vasis , quamdiu enim in vasibus majoribus movetur , in guttas coit , nec liquidis nostris ibi internè miscetur , idem verò

in vasa minima delatus propter viaturn angustias in minutias dividitur & cum liquidis nostris probè commiscetur ; hinc constat quòd non immediatè in sanguinem agat , sed in lympham ut potè in vasis minimis contentam.

Hinc quòque duci potest ratio cur in corporibus obstructis ; ut in iis qui lue venereâ , hydrope , scorbuto , &c. laborant , majori cum effectu opere tur quàm in iis quorum vasa omnia aperta sunt ; cuius notabile exemplum non ità pridem vidimus in homine quodam , qui lue venereâ bis laboraverat , & toties erat curatus ; cùm autem tertiâ vice in eandem inciderat , curatio propter ossium curiositatem decoctis aperientibus erat tentata , quibus non succedentibus adhibitus erat mercurius , salivationem tamen nequaquam excitabat , tandem autem semi anno jam elapso corpus à leucophlegmatiâ , in quam inciderat , obstructum , vim mercurii , quantitate licet exiguâ applicati , statim agnoscebat ; undè in salivationem violentissimam incidebat .

Ex dictis colligi potest quòd mercurii vis in corporibus nostris recepti in eo consistat , quòd fluidorum nostrorum moleculas nimis inter se compactas di-

vidat, & dissolvat, & consequenter tollat obstructiones, & quacunque ratione mechanicâ liquida nostra conteruntur, comminuantur, confringuntur, ita ut in partes admodum minutis redigantur; eâdem quoque apta & habilia redduntur ad facilem & copiosum fluxum in vasa lateralia lymphatica, & proinde ad salivationem: quod autem mercurii effectus talis sit, qualem descripsimus, vel indè patet, quod si saliva vel urina in partes minutas dirimatur vel attritione, vel solis aut foci calore, eundem emittat fætorem ac saliva mercurio mota. Vis mercurii multum promovetur, si stimulus aliquis addatur v. gr. si caustici aliiquid aut acidi adjunctum habeat, salivationes horrendas & purgationes intolerabiles producit. Notandum est quod ineptè afferant nonnulli partes mercurii vasorum lateribus adhærere, cum corpus sit maximè mobile.



## C A P U T I V.

*De Expectorantibus.*

**E**xpectorantia sunt, quæ materiam morbosam in Bronchiis pulmonum hærentem per laryngem expellunt; ad hoc autem & requiruntur, nempè 1º. Ut materia ibi contenta reddatur mobilis & meabilis, ac proindè ut partes ejus fluidissimæ non dissipentur, ne materia sit viscida, tenax & inextricabilis; hinc nimis calida & stimulantia nocent. 2º. Ut viæ aperiantur, detergeantur, & lubricentur. 3º. Ut materia ad excretionem incitetur, quòd optimè fit per tussim, ad quam requiruntur stimulus & vires sufficientes. 4º. Ut quies vasis infarctis concilietur quòd laxari queant, si enim continuò irritentur, humor ex glandulis asperæ arteriæ continuò ejiceretur cum doloris sensu.

Medicamenta itaque expectorantia, quatenus respectum habent ad hæc & requisita, in 4 classes dividuntur. 1º. Continet stimulantia omnia aromatica, amara & simili oleosa blanda, ut sunt

absynthium , carduus benedictus , mar-  
rubium , hyssopus , majorana , hele-  
nium , pulegium , valeriana , &c. Huc  
quòque spectant sulphurea cum alca-  
linis mixta , omnia saponacea fixa ,  
uti sapo Venetus in pillulis , sive cum  
lacte datus , omnes spones volatiles  
oleosi , & sales volatiles & fixi , &  
in genere omnia stimulantia & diluen-  
tia simul. 2<sup>a</sup>. Continet aperientia &  
detergentia , ut olea blanda papave-  
ris , amygdalarum , olivarum & mel  
quod aperit , incidit , attenuat , deter-  
git , lubricat ; huc quòque spectant  
emulsiones , spones , vitella ovorum  
cum oleosis , saccharum saltem in pau-  
ciori dosi , licet enim hoc à quibus-  
dam improbetur , certum tamen est il-  
lad esse sal rectificatum , nec balsamo  
nostro naturali adeò perniciosum ac  
nonnulli opinantur ; huc pertinet man-  
na , quæ optimè lubricat ; hujus lo-  
ci sunt balsama , ut thereb. balsam  
peruv: de meccâ , gummi elemi , &c.  
quæ agunt stimulo aromatico & oleo  
lubricante ; huc pariter pertinent , de-  
cocta omnia laxantia & emollientia.  
3<sup>b</sup>. Continet ea , quæ tussim excitant  
ut vinum , acetum , spiritus acres , Er-  
rhina ; hinc patet cur Hipp. in vomi-

câ, die critico instantे, vel vinum; vel acetum, vel utrumque simul, vel oxymel, pipere permisso dederit. 4<sup>a</sup>. Continet demulcentia, anodyna, & narcotica, quorum præcipuum est opium cùm enim aspera arteria semel excoriata est, facilè in tussim violentam, & spasmus non nisi opio compescendos, movetur.

---

## C A P U T V.

**P**urgantia per alvum sunt ea medicamenta, quæ vivo corpori vel externè vel internè applicata materiam morbosam per intestinum rectum evacuant. Medici ab omni tempore ea vocavére purgantia, quæ per intestinum ultimum materiam impuram deturbavére: per impuram intelligebatur quicquid inimicum erat naturæ, & per naturam omne quod ad vitam & sanitatem est necessarium, i.e. functiones vitales, naturales & animales benè constitutas. Ergò materia impura iis erat, quicquid has functiones lædit.

Purgatio est secretio , sive potius excretio per alvum eorum omnium , quae ex aliquâ corporis parte per intestina fluere possunt. Considerandum itaque est. 1. Quænam & quotplex materia sit , quæ in intestinis reperiatur. 2. A quibus locis adveniat. 3. Quotplex sit ejus natura. 4. Quantâ copiâ ad intestina fluere possit ex reliquis corporis partibus ; undè videbimus totum ferè corpus per intestina expurgari posse.

Classes eorum , quæ intestinis contineri possunt , indeque expurgari. 1. Class: continet omnia quæ deglutiuntur , qualia sunt. 1 ) Aër , qui se permiscet cum saliva , liquore æsophagi , & præcipue muco palatino , qui eum inviscat ; quod cum his permisceatur , eorum spuma docet , & idem demonstrat antlia pneumatica ; quod deglutiatur , porro patet ex torminibus , quæ ab eodem in intestinis rarefacto sèpenumérò excitantur. 2 ) Omnis saliva , mucus , aliquique secreti humores ex naribus , faucibus , palato , membranâ Schneiderianâ , &c. quorum tanta copia est , ut quandoque catharsin moveant , ut in diarrhæâ catarrhali , quo in casu ad libras aliquot intrâ 24

horas nonnunquam fluunt. Omnia ciborum & potulentorum genera.

2<sup>a</sup>. Continet omnes reliquias ex cibo & potu, nullus enim potus degluttitur, aquâ forsan purissimâ exceptâ, quin fæces aliquot relinquit, ut patet in infantibus solo lacte utentibus, in ægris sola juscula depascentibus, & aliquibus spiritum vini solum bibentibus, ultima enim rerum omnium solida, ut patet ex Chemia, vix sunt separabilia; hinc à visceribus in eas minutias redigi nequeunt, ut vasa lactea ingredi possint; haec ergo particulæ in intestinis coacervatae sterlus constituunt; præterea ex partibus fluidis ingestorum generantur fæces quatenus vis viscerum non potest ingesta ita subigere, ut solida omne suum liquidum deponere cogantur, sive ut liquidum adeò benè subactum & divisum sit, ut totum intra lactea recipi possit; hinc solvit problema, cur homines duo iisdem cibis utentes tantum ab invicem quoad alvi excretionem aliquando discrepant, ut unus singulis, alter vero non nisi alternis forsan diebus ventrem deponat, licet uterque satis sanus videatur & sit.

3<sup>a</sup>. Continet bilem duplicem, nem-

pè hepaticam & cysticam, quòd hæ continuò in intestina fluunt, præsertim hepatica; (cystica enim non omni momento fluere potest ob situm ejus, & receptaculi sui inactivitatem, nisi prematur à stomacho repleto aut motu fortiori viscerum) quisque facile percipiet, si modò consideret, quòd excrementa semper flava sint nisi in ictero, tūm enim albescunt ob bilis duc-tus obstructos; sed quomodò intrà 24 horas, tanta ejus copia excerni possit, ut ad 3 libras aliquandò assur-gat, non nisi ex sequentium consideratione patere potest, nempè 10. Quò velocitas liquidi ad glandulam appulsi est major, eò etiam secretio. 2°. Ut moles unius glandulæ ad molem alterius, ità, cæteris paribus, est secre-tio; quanta verò sit glandula, ubi bilis secernitur, nempè hepar, videri po-test apud Glisson *de hepate*, & War-thon *de glandulis*. Undè colligi potest quòd secretio hepatis sit ad secretio-nem parotidis, ut 3 ad 1. 3°. Hepa-tis emissarium magnum est & patulum, 4°. Isti emissario nil obstat.

4<sup>a</sup>: Continet succum pancreaticum, qui tenacitate, sapore, odore, &c. sa-liyam plurimum refert; glandula quò,

que eundem secernens ; scilicet , pancreas à glandulis salivalibus non nisi magnitudine differt ; habet hæc glandula emissarium satis magnum ; undè liquidi sui ingentem copiam in intestina deponere constat , habitâ enim comparatione hujus glandulæ cum salivalibus , quæ in naturali suo statu salivam ad quantitatem 12 unciarum spatio 24 horarum secernunt , mercurio verò stimulatæ libr: 2. item comparatione factâ arteriæ carotidis cum cæliacâ , quarum hæc se habet ad illam , ut 2 ad 1. item ductûs pancreatici cum salivalibus , ad quos sic se habet hic , ut 2 ad 1. inde colligi potest , quod pancreas in naturali suo statu succum ad quantitatem 3 27 spatio 24. horarum emittat ; stimulatum libras jv. Tripli modo augetur glandulæ secretio . 1°. Quandò augetur glandulæ magnitudo , de quâ vide Wharton. 2°. Quandò liquidi ad secretionem proclivitas major fit. 3°. Quandò à continuâ liquidi expressione minuitur resistentia in cavo glandulæ ; undè sequitur copiosor liquidi in eandem influxus , ut in mammis lactantium apparet ; hinc facile reddi potest ratio , cur tanta liquidorum copia quandòque ab intestinis excernatur

tur in diarrhæa , quia nempè inter  
alios succus pancreaticus , qui in statu  
fano redit in sanguinem per vasa lac-  
tea , & venas mœleraicas , obstructis iis  
canalibus , necessariò per anum reji-  
citur

V<sup>4</sup>. Continet succum glandularum  
intestinalium , quarum continuitatem  
per totam intestinorum seriem demon-  
stravit Peyerus , quantaque illarum sit  
copia , facile concipi potest ex intesti-  
norum longitudine , hominis altitudi-  
nem sexies ad minimum superante.

V<sup>2</sup>. Continet omnia in intestinis  
præternaturaliter hærentia , quæ vel  
fluida sunt , vel solida. Fluida in in-  
testinis præternaturalia sunt. 1° . Pus  
omne quod semper effectus est inflam-  
mationis ; hæc autem est stagnatio san-  
guinis arteriosi vasis minimis capilla-  
ribus cum sanguine à tergo urgente ;  
effectus est contritus vasorum minimo-  
rum & mutatio materiæ rubræ , tūm  
& ipsius vasis in materiam albam pus  
dictam ; generari potest pus , de quo  
nunc agimus , in liene , hepate , pan-  
create , ipsis intestinis , aliisque parti-  
bus. Hinc huic quæsito responderi po-  
test , cur tanta puris copia dejiciatur ,  
& undè , nempè provenire potest ex

170 *De Purgantibus per alvum.*

liene per vasa epiploica ad hepar ducentia , undè per corrosum ductum hepaticum deferri potest ad intestina : ( de tali pure scripsit Hippocrates ) vel ex hepate , aut pancreate per ductus proprios ; vel tandem ex intestinis ipsis . Hinc quòque solvitur problema illud notissimum , scilicet quomodò empyema per alvum solvi possit , nempè 1° . Quia pus diaphragmati incumbens afficit loca vicina , exedit & perforat diaphragma , dein hepar aut intestinum colon corredit & ingreditur . 2° . Sanguis , qui sæpè effluit magnâ copiâ , idque sæpenumerò post purgantia male adhibita , vel in dysenteriâ , & provenire potest ex variis emissariis , quorum duo sunt maximè notanda , nempe , 1) Ductus communis hepatis , qui quinque ramos ab hepate accipit , & unum à vesicâ felleâ . Si ergò hepatis structura ità lœdatur internè , ut fiat verum vulnus , idemque in aliquem è ductibus bilaribus hiet , sanguis copiâ magnâ in intestina fluet , indèque non nunquam proveniet diarrhœa . Ductus pancreaticus , per quem , lœsâ pancreatis texturâ , sanguis excerni potest ; hoc sæpè fit cum homini pancreate scirrhoso laboranti catharticum exhibetur ;

à cathartico enim circulatio augetur, indèque vasa juxta scirrum sita valde premuntur & abhinc rumpuntur; undè diræ hæmorrhagiæ, satis hoc norunt Chirurgi. Præter hos duos ductus sanguinem intestinorum cavitati suppeditantes, aliquando dantur quoque & alii, ex quibus sanguis effluere potest in intestina, ut æsophagus & ventriculus læsi, it: lien, è quo si modò scirrhosus fiat & inflammetur, post 3 vel 4 dies sanguis evomitur, aut per sedes amandatur (quæ quidem fuit veterum sententia) verùm sanguis ille ex liene per hepar transit. Sanguis grumefactus ex stomacho profluens ulcus vetus denotat, præsertim si grumi isti donentur superficie ex unâ parte convexâ à figurâ vintriculi ortâ, stomachus enim potest liquida & solida diu retinere, ut liquet ex cibis nimiâ copiâ deglutitis, & hi post 12 horas putrefacti redduntur. 3) Ichor è vasis lymphaticis proveniens; patet enim ex anatomicis illa ramos suos in formam conicam dispergere; undè in iis etiam inflammations oriri possunt, licet non rubræ, tamen cum dolore; lymphæ stagnantis pars tenuior facile potest transfire, dum crassior stagnando acris

Hij

evadit, & ichotis nomine donatur, qui pustularum & scabiei causa est; undè constat, quod ex vasis lymphaticis copiosis in abdomine satis magna deferri possit ichoris copia. 4) Lympa ipsa extravasata à vulneribus vasis lymphaticis inflictis. Solida præternaturalia in intestinis contenta sunt. 19. Pinguedines instar lardi scissi, quæ ab infarcitis, concretisque alimentis per gluten mucosum procedunt. 20. Tunicæ interioris intestinorum filamenta, carunculæ & quasi glandulæ parvæ, fibræ resolutæ oriuntur ab interiori tunica intestinorum exesâ, resolutâ, abrasâ per particulas acres & venenatas.

Omnia nostra vasa, quæ nondùm cartilaginea sunt facta, indeterminatam habent dimensionem, ut videmus in varice, anevrismate, &c. ideoque, si causa sufficiens adsit summoperè dilatari potest ductus hepatis, pancreaticis, &c. si itaque hæreat aliquod in visceribus, è quibus exeunt isti ductus, quod ibi post gangrenam, ulcusvè manferit, per illos ad intestina ferri potest: v: gr: si hepar gangrænâ afficiatur, partes ejus solutæ per ductum hepaticum dilatatum transire possunt; hepar verò inflammari posse, dein inflam-

mationem istam in apostema aut gangrenam abire testantur Forestus & Tulpius. Intestina quoque ipsa valde inflammata gangrenâ perire possunt & frustulatum expelli. Aphthæ sœpè etiam per alvum expurgantur. 30. Lumbrici, vermes, aliaque animalia.

VII. Continet lympham, aliosque liquores qui extravasati receptacula sibi formant, aut alicubi non naturaliter colliguntur; hi enim catharticorum vi per sedes quandoque à corpore amandantur; quâ ratione hoc fiat, vix dici potest; fieri tamen certum est: nam in hydrope à cathartico exhibito magna nonnunquam lymphæ copia cum ventris detumescentiâ expellitur.

Ex dictis sequentia inferuntur Co-rollaria.

1. Per intestina expelli possunt corpora valde diversa & ex quâcunque machinæ nostræ parte; omnia purgantia minuunt resistentiam in vasis intestinis proximis; undè vi atmosphæræ eò deducitur plus liquidi; quod fit quoque à contractione aut elasticitate vasorum, & si per violentas purgations reiteratas valde minuatur resistentia in intestinis, omnis lymphæ ad vasorum inanita deducetur, ibique

ejusdem fiet excretio ; quapropter ex omni corporis parte per cathartica lympha expelli potest.

2. Hujus copia tanta quandoque esse potest , ut penè fidem superet.

3. Liquida , quæ naturaliter in intestina solebant deponi , indèque in venas per lactea , vel meseraicas venas secedere , si modò rectâ ferantur versus anum , excerni possunt ad quantitatem librarum iiii aut plus 12 horarum spatio. e: gr: deglutiamus per 12 horas omnem nostram salivam , mucum & liquorem æsophagi , & ad ventriculum medium perveniant , ibi 3 x circiter conficent , ventriculus xi circiter liquidi sui uncias suppeditabit , glandulae intestinales libram 1. pancreas 3 xi. hepar quòque suum reddet , ex quibus omnibus simul sumptis , habebimus 4 circiter libras. Undè videmus quod totus homo brevi tempore expurgari possit.

4. Septem prædicta secretorum & excretorum genera possunt vel stagnatione , vel permistione mutari , ut dignosci nullo modo possint , sic mucus narium quam primùm excernitur , est lympha tenuis ; brevi verò ita inspissa-

*De Purgantibus per alvum.* 175  
tur, ut evadat crusta dura, & ferè cartilaginea.

5 Horum nonnulla vi multo minori ex corpore expelluntur quam alia; fæces enim à cibo relictæ motu intestinorum peristaltico facilè detruduntur, adeoque vi viscerum naturali absque stimuli ope expellantur; ad liquidum verò extravasatum educendum plus requiritur quam motus peristalticus, nempè, 1°. Ut attrahatur in intestina; ad hoc autem requiritur, ut vasa vicina illud recipiant; ad hoc iterum, ut vasorum istorum resistentia minor fiat quam vis quæ liquidum in eadem impellit; quicquid ergò satis minuere potest vasorum resistentiam, efficiet ut liquidum in eadem recipiat; resistentia verò minuitur sufficienter à causâ aliquâ, quæ vasa emungit & inanit; hujus causæ vis debet esse major vi viscerum naturali, ut vasa fortiter stimulet & in secretionem deducat. Ergò major, minorvè expulsio-  
nis facilitas omnino pendet à variâ materiae expellendæ distantiâ ab intestinis, sic sterlus facilius movetur quam liquor pancreaticus, hicque facilius quam lympha extravasata.

6. Vires expultrices, quæ, uti in  
H iiiij

præced: Corol: variæ sunt pro variâ  
materiæ expellendæ distantiâ, omnino  
pendent à stimulis quibusdam; stimu-  
li autem hi sunt qui suâ figurâ & soli-  
ditate molestiam quandam creant, ut  
in oculo arena, quæ motum convul-  
sivum statim excitat, quo motu glan-  
dulæ comprimuntur & ex istâ com-  
pressione evacuantur; undè novo li-  
quido ingressus facilis conceditur; eâ-  
dem ratione se habet purgatio e: gr:  
si quis solo pane albissimo usus, al-  
vumque semel tantum quotidie exo-  
nerare solitus comedet panem fur-  
furaceum, bis tervè de die, & quidem  
nonnunquam cum torminibus alvum  
jam deponet, quia particulæ furfura-  
ceæ indissolubiles ratione suæ molis &  
figuræ vellicant viscera & in contrac-  
tiones agunt. Eâdem ratione operantur  
uvæ, &c.

Perspectis jam iis, quæ in intestina  
naturaliter & præternaturaliter defe-  
runtur, videndum est jam quid gene-  
raliter requiratur ut expellantur. Re-  
quisita ad materiæ expulsionem sunt 6.  
1°. Ut via sit aperta, per viam intel-  
ligimus continuam cavitatem ab ore  
usque ad anum; hæcque dupli modo  
claudi potest, nempè (a) à mutatâ

ejus figurâ; quod fieri potest , si una pars aliam ingrediatur , ut in passione iliacâ , aut si mesenterium per inflammationem separetur ab aliquâ intestinorum parte , vel tandem à motu intestinorum spasmatico (b) à materiâ quâdam intestinis hærente , v: gr: quando stercore indurantur ope materiæ glutinosæ in substantiam duram & ferè lapideam , ut aliquando in fæminis gravidis præsertim fieri solet , vel quando quid duri hæreat in intestino cæco valvulam ibi positam claudens , vel quando scirrus nascitur in intestinis.

2°. Requiritur viæ lubricitas , posuit enim Deus in toto tractu in testinali smegma quoddam , quo fæces partis liquidioris expressione arefactæ facile perlabi possint , & non immobiles maneant , aut alicubi hæreant ; quod si smegma illud desit , adstringitur alvus , undè longè major vis ad fæces detrudendas requiritur & assumi debent in hoc casu mel , manna , oleum , saccharum , &c. hinc in aphthis alvus , quæ tunc temporis strictissima est , laxa redditur clysteribus glutinosis , mellitis , saccharitis , & similibus.

3°. Contractio fibrarum muscularium spiralium , quæ intestina perito-

tum eorum tractum ambiunt, & cùm agunt, vasorum latera versùs centrum urgent; item contractio longitudinale, nullum enim medicamentum purgans agit, nisi etiam hoscè motus augeat, acceleret, roboret stimulando, idque ex doloribus patet, qui à purgantibus oriuntur.

40. Motus omnium partium respirationi inservientium auctus; auctum dico, quia naturaliter neque fæces neque urina expelluntur absque quâdam respiratione; patet id in infantibus in utero materno hærentibus, qui si fractis involucris in partu non admodum prospero aërem hauriant, alvum deponunt, & defædant matres; videmus porrò quòd cùm aliquis alvum deposit, magnam aëris copiam hauriat, statimque gulam claudat, aër autem rarefactus distendit pulmones, hique diaphragma deorsùm pellunt; interim ab abdominis musculi sese contrahunt, undè intestina pressa fæces foras expellunt; verùm simul ac pulmones remittuntur, remittitur quoque abdomen, desinitque depositio fæcum. Hinc videmus cur in ægris morituris purgationis effectus frustrà expectatur, deficiente respiratione.

5<sup>a</sup>. Materiæ in intestinis præsentia.  
6<sup>b</sup>. Hujus materiæ meabilitas i: e:  
ut facile propelli queat. Hæc semper  
requiruntur ut purgatio rectè procedat,  
& si ob unius defectum deficiat purga-  
tio, defectus iste per remedia appro-  
priata tolli debet, sic (a) si via vel  
scirrho vel inflammatione obstricta sit  
venæ sectio adhibenda est. (b) Si desit  
lubricitas, vel melle vel oleo, vel cly-  
matib[us] glutinosis procuranda est. (c)  
Si deficiat contractio muscularum re-  
stituenda est leni stimulo fructuum ho-  
ræorum; si verò iste defectus ab ani-  
mi deliquio oriatur, tūm cardiaca ju-  
vant. (d) Si impediatur transfluxus per  
crustas intestinis adnatas, adhibeatur  
balneum aquæ frigidæ, & sic quod per  
poros cutaneos secerni solebat, deter-  
minabitur versus intestina; undè sol-  
ventur crustæ & purgatio benè proce-  
det. (e) Si nil intestinis insit, nil in-  
dè educi potest, hinc hominibus per  
duos, tresvè dies jejunantibus non dan-  
da est purgatio, quia nullum hoc in ca-  
su habitura est effectum ob debilem  
respirationem, & materiæ penuriam.  
(f) Si materia adeò dura sit, ut move-  
ri nequeat, à longo potu aquæ & olei  
resolvi potest. Vidimus jam quænam

H vj

materia in intestinis naturaliter & præternaturaliter hærere solet , & quænam versùs ea derivari potest ; cùmque multiplex sit , indè facilè patet medicamentorum ad illam expellendam destinatòrum nomina necessariò varia esse ; ut

1. Eccoprotica quæ solummodo fæces alvi , i: e: reliquias ingestorum stomachi & intestinalium naturales expellunt , nec aliquid ex aliis corporis partibus in intestina derivant , qualia sunt ea quæ vias aperiant ; hinc convenient oleosa , diluentia , & clysmata ; requiriatur verò ut levis aliquis stimulus addatur , ut salina & aromata blanda .

2. Phlegmagoga , veteres vocavere omne liquidum sero crassius , ut est mucus narium , phlegma , sive pituita vitrea ; si ità ab apparentiâ describatur , omnis materia subalbida , limpida , & tenax instar albuminis ovi ( quam magis strictè pituitam vitream vocavere veteres ) erit phlegma , & constat triplici materiâ , nempe 1° . ex materiâ inquilinâ stomachi morbosâ , quæ est materia nata à quibusdam glutinosis in stomacho harentibus , vel ex villis eminentibus , & liquido illo stomachi mucoso per acredinem & vehementem stimulum abrasis . 2° . Ex mu-

*De Purgantibus per alvum.* 181  
co deglutito, cuius præsentia in intestinis nemini non nota est. 3°. Ex tali materiâ per stagnationem aut permissionem productâ, stagnatione enim & permissione mirabiles produci possunt massæ, prout videre est in Bonneti sepulchreto anatomico, de morbis intestinorum.

Hinc vario opus est stimulo, ut phlegma expurgetur, quippè si mucus solummodo naturalis expurgandus sit, facile eccoproticorum ope eliminari potest: sed si homini viscera sint debilia, majori stimulo indigemus, quam præbent phlegmagoga..

3°. Cholagoga, & hæc sunt, quæ tantâ vi stimulant, ut non modò mucum expellant, verùm etiam à vasis mesentericis recepta solutionem & motum sanguinis in hepate augeant, vel vasa stimulando sanguinis fluxum ube- riorem versùs hepar moveant; talia sunt semicaustica, ut scammonium, Jalapp: Mercur: &c. quæ bilem ab hepate in intestina deferunt, & indè expellunt.

4°. Hydragoga, quæ sunt ea quæ non tantùm bilem, sed mucum intestinalem, & ipsum succum pancreaticum expellunt; idque 1°. impediendo ne

quidquam eorum, quæ in lactea redire solebant, eadem ingrediatur, & hoc sit quandòque à levissimâ causâ; ambulet enim quis sub Jove frigido, indeque pedibus frigeat, totumque statim corpus & glandulæ intestinales, ut & abdomen frigore constringuntur, emunguntur ductus excretorii, clauduntur verò ductus liquida in sanguinem deferentes; hinc prohibetur refluxus, oriunturque ventris termina, i: e: spasmodicæ contractiones, promovetur liquidi trajectus per intestina; undè tandem evacuationes serosæ.

2º. Augendo liquidorum, imprimis succi pancreatici & glandularum intestinalium, secretionem, quod fit minuendo vasorum excretiorum resistentiam, simùl & motum liquidi specialis sive generalis per totum corpus augendo. Quæ hæc efficiunt, caustica sunt, & venena, ut helleborus albus, niger, euphorbium lapis infernalis purgans Boylei ex argento, &c.

3º. Melanagoga, sive ea quæ atram materiam per intestina educunt; hæc atra materia vario odore, sapore, acrimoniâ & tenacitate gluten referente; donatur; veteres atram bilem vocavere, cum enim observarent talem materiam ab hominibus melancholiâ

& tumidis lienibus laborantibus, quibus purgans forte exhibutum erat, dejici, indè concludebant istam materiam à sanguine adusto collatam esse, & in liene, tanquam in Cloacâ, depositam; undè per vasa huic operi propria, sed incognita, eandem in intestinorum cavitatem deferri voluerunt: notum autem est quod quicquid lien in se recipit, idem rursus per vasa gastro-epiploica in venam portam & hepar remittat; si verò sanguinis è liene effluxus ob vasa aliquâ ex causâ obstructa impediatur, idem stagnando coagulatur, atque evadit; & si tūm purgantibus vehementibus moveatur, versus hepar pellitur, ibique impetum faciens, succussione nempè totius corporis, muscularumque abdominis, quæ ab enormi purgantis stimulo oritur, adjutus, vasa biliaria vel dilatat, vel rumpit; hācque ratione in intestina sibi viam facit. Ad talēm materiam itaque movendam maximā vi & causticā quidem est opus, quæ totius corporis tam solida quam fluida turbet, motusque spasmodicos excitet. Hāc atra materia non solum ex liene, verū etiam ex aliis corporis locis provenire potest & solet, hepar enim ipsum eodem modo talēm materiam à vasis ruptis colligere

potest, tūm & pancreas; potest quōque à sanguine quocunque in intestinis extravasato, & cum pituitā ibidem coalescente constitui talis massa, hæcque ultima species aliquando potest solo motu intestinali naturali, sive per medicamentum eccoproticum aliquantulum aucto excerni: potest quōque atra bilis in hepate collecta solā corporis succussione, ab ejus inclinazione, aut vescione in r̄hedā prognatā expelli. Hinc concludi potest quōd atra bilis quandōque leni cathartico, quandōque non nisi fortis, prout magis minusvē ab intestinali remota est, educatur.

Antequām ipsam historiam purgantium aggrediamur, præmittenda sunt quædam observata, hūc maximè pertinentia.

1<sup>um</sup>. est, quædam purgantia agere solummodo irritando fibras & partes musculares intestinali; alia verò non priùs agere, quām vasa sanguifera ingrediantur, & cum sanguinis massā permisceantur.

2. Quædam varios effectus vehementes, ut nauseam, animi deliquium, &c. antequām purgent, producunt, hæcque videntur se per totum corpus

*De Purgantibus per alvum.* 18;  
dispergere; alia verò istos effectus non  
producunt, ac proindè videntur non  
adeò universaliter dispergi ac antè dic-  
ta: talia sunt crystalli tartari, undè pa-  
tet non debere nauseam produci ab  
omnibus purgantibus, antequām fiat  
purgatio.

3. Omnia purgantia per se sunt vo-  
mitoria, & necessariò fiunt talia si dosi  
aliquantulūm auētā dentur; imò pur-  
gans quodvis lenissimum copiā nimis  
largā datum fit vomitorium, sic oleum  
recenter expressum, quod omnium pur-  
gantium ferè lenissimum est, nimis co-  
piosè sumptum vomitum ciet.

4. Animi pathemata sola in homi-  
nibus vomitum & sedes æquè efficac-  
iter movent, ac ipsa medicamenta;  
hoc observandum est in hominibus  
multūm irritatis, metuvè valdè per-  
cussis, hocque pendet à motu humorum  
& spirituum per pathemata turbato.

5. Plurimi homines solo odore me-  
dicamenti purgari possunt; hique si in  
tales morbos incident, qui olfactum  
destruant, deinceps non purgantur,  
licet medicamenta ipsa naribus admota  
sint, cuius exemplum est in Hist. Reg.  
Parif. Acad. anno 1º. ex Boyleo de ef-  
fluviis; quandòque etiam à solo medi-

186 *De Purgantibus per alvum:*  
camentorum conspectu moventur ho-  
mines, ut videre est apud Bartholin.  
Cent. 5, Hist. 69. ut & apud Tulpium  
& Pechlin.

6. Solâ applicatione externâ pur-  
gantium nonnulli moventur, ut vide-  
re est in Ephem. Germ. 2. Decurs. an-  
no 10. n. 43. & probatur in Emplastro  
illo noto ex felle taurino, colocynthide,  
&c. composito.

7. Nonnulli vehementer purgantur  
ob solam perspirationem sanctorianam  
impeditam, aut imminutam; fit hoc  
plerumque ab humido aëre & nebuloso  
præsertim; hinc dixit Hippocrates quòd  
zephiri producant alvi laxitates, dia-  
rrhaeas, colliquationes; boreas verò alvi  
constrictionem & siccitatem: quandò-  
que solo motu externo excitatur purga-  
tio, & navigantes nonnulli ut rhedâ  
vecti experiuntur.

Coroll. 1. Parùm corporis sæpenu-  
merò requiritur ad maximos effectus  
producendos. Cor. 2. Corpus quod  
agit, est sæpenumérò tenuissimum, ut  
patet ex emplastris purgantibus, quo-  
rum moles finitâ operatione vix minui-  
tur. Cor. 3. Corpus quod agit, est  
sæpè volatilissimum, ut patet ex aloe,  
cujus suffitus purgat; cùm verò partes

*De Purgantibus per alvum.* 187  
ejus subtilestis avolavere , quod remanet  
planè iners est. Cor. 4. Pars corporis  
cathartica minima est respectu totius  
molis ; patet ex colocynthide , & eu-  
phorbio , quæ in aquâ soluta & leniter  
evaporata fiunt massæ inertes , cùm ta-  
men pars valdè exigua & vix sensibilis  
fuerit evaporata.

---

## C A P U T IV.

### *De Eccoproticis.*

**E**cocoprotica, prout antè dictum est,  
sunt talia medicamenta , quæ cor-  
pus inter operandum non multū turb-  
bant , quæque , præter ventriculi & in-  
testinorum contenta , vix quidquam è  
corpore expellunt , aut saltem valdè  
parum. Impossibile enim est invenire  
Ecocoproticum absolutè dictum , quod  
non ex glandulis intestinalibus aliquid  
educat ; sicut enim aqua simplicissima ,  
scilicet pluvialis, oculo ad fabulum edu-  
cendum injecta eum levissimè stimulan-  
do lacrymas elicit , sic quoque ecco-  
proticum , ut ut blandum sit , tamen  
aliquid semper simul cum facibus ex-  
pellit , glandulas scilicet intestinales  
movendo. Ecocoprotica omnia ad 3  
Classes reduci possunt.

1<sup>a</sup>. Continet ea, quæ agunt lubri-  
cando intestinorum membranas, & eo-  
rum contenta, qualia sunt: 1) Olea  
animalium recentia; dico recentia,  
quia si recentia non sint, sed nimis diu  
servata, acris fiunt, & tunc ad clas-  
sem purgantium acriorum referenda  
sunt; quamdiu vero recentia sunt, oleo-  
sitate suâ blandâ lubricant; huc spec-  
tant. 1. Butyrum i. e. partes pingues &  
oleosæ chyli ab aquosis & salinis par-  
tibus vehementiori concussione separa-  
tae. 2. Lactis tremor, sed recens. ut  
dictum. 3. Omnia iuscula animalium  
pinguia, præsertim iuscula earum par-  
tium, quæ circâ mesenterium sitæ sunt;  
hinc mesenterii & intestinorum decocta  
apud Italos pro arcano habentur ad fæ-  
ces induratas. 4. Medulla & medullo-  
sæ animalium partes. 5. Pinguedines  
omnes animalium recentes. 6. Anima-  
lium bilis, quæ licet agat virtute suâ  
saponariâ & stimulando, tamen qua-  
tenus oleosa est, inter lubricantia etiam  
debet haberi. 2) Omnia olea ex vege-  
tabilibus, ut olivis, amygdalis, pis-  
taciis expressa; notandum vero quod  
fructus & semina, è quibus exprimun-  
tur, debent esse matura, alijs adstrin-  
gunt: debent quoque recentia esse, alijs

acrescent, & sunt valde purgativa; debent etiam esse blanda, ut distinguantur ab oleo esulæ, euphorbii, tithymali, nicotianæ, & similiū. Disputatur nonnunquam an illa olea blanda constipent, an laxent, quoniam dantur in dysenteriâ cum successu & effectu constipandi alvum, in hypochondriaco affectu verò cum laxandi effectu sumuntur; si tamen consideremus causam dysenteriæ esse acre quoddam intestinorum fibras vellicans, oleorumque blandorum proprietatem esse, acia involvendo obtundere, facile intelligimus cur in dysenteriâ pro sint. In hypochondriaco affectu viæ intestinales sunt siccissimæ, & crispatae, eorum superficies inæquales & asperæ, undè olea blanda iisdem applicata crispataram ipsam & corrugationes lubricando tollunt, indeque laxant. 3. Omnes fructus blandi, maturi, pingues, ut omnes species amygdalarum dulcium, nucum, coco, pistaciæ ficus, semen lini, & omnia farinacea ferè quæ semper viscosa sunt; omnes hi fructus dicuntur lenitivi, horumque manè masticatorum succus deglutitus parte residuâ ex ore rejectâ blandè laxat: huc quòque referenda omnia decocta emollientia dicta, i. e. quæ ex vegetabilibus succum pingue

& tenuem eliciunt, qualia sunt decocta malvæ, althææ, parietariæ, hordei, avenæ, milii solis, fagopyri, &c. hæc enim cocta speciem emulsionis lubricantis constituunt. 4. Saponacea omnium vegetabilium; sapo est corpus ex oleo & sale ita combinatis constans, ut in aquâ resolvi potest æquabili solutione i. e. ita ut oleum non supernaret aquam, sed cum eâdem permisceatur. Sapo vel naturalis, vel artificialis; spones naturales sunt vegetabilium succi, horumque sex species sunt, quæ blandè lubricant. 1°. Manna, quæ nil aliud est quam succus ex fraxino exudans concretus, sapore abstersivo & saponaceo donatus; ejus pars saponacea lubricat, altera stimulat. 2°. Calsia, quæ fructus est cum viscositate ferè melleâ, undè leviter lubricat. 3°. Mel, quod nil aliud est quam succus salinus & oleosus vi solis è floribus plantarum excoctus, frigore concretus, & in guttulas collectus, undè illud colligunt apes. 4°. Saccharum, quod suâ viscositate lubricat. 5. Syrupi ex his 4 precedentibus, aliisque vegetabilium succis, confecti. 6°. Mulfum, quod aliud non est quam mel aquâ solutum & coctum. 5. Spones artificiales, qui ex salibus & oleis ar-

te unitis constant ; horum duæ sunt species , quarum prima continet 1°. Saponem ex sale alcalino fixo & oleo expresso factum , ut ex sale Tartari & oleo olivarum fit sapo venetus. 2°. Saponem ex sale alcalino fixo & oleo stillatitio factum , qui sapo chemicus appellatur. 3°. Saponem ex sale alcalino volatili animalium cum oleo destillato confectum , qui sal volatile oleosum solet appellari. 2<sup>2</sup>. Species continet spones ex acidis & oleosis confectos , ut ex aceto & oleo diu coctis , it. ex oleo vitrioli cum triplo aut quadruplo olei. 6. Omnia prædicta externè applicata , sivè per modum balsami , sivè frictus , sivè fomenti. 7. Omnia prædicta enematis specie injecta , quod plūs sæpenumerò prodest quam omnia per os assumpta , præfertim si malum hæreat in intestinis crassis. Ut videamus , quibus hæc nocent , & quibus profint , sivè ut eccoproticorum dictorum usus determinetur ad coroll. sequentia attendendum est.

Coroll. 1. Lubricantium dictorum usus est in corporibus siccis , calidis , atrabilatiis , hæmorrhoidibus vexaris , perspiratione uberiori gaudentibus & robustissima viscera habentibus ; quibus proindè omnia humida in visceribus contenta in venas lacteas pellunt-

tur, ut demonstrat Sanctarius, hæcque viscerum ariditas regionum calidissimarum incolis sæpius accidit; per calorem enim externum, semper absorbetur & detergitur quicquid incute exteriore hæret, & notum est quod quod vasa secretoria plus emulgeantur, eò major fit liquidi in eadem influxus; undè fit ut interiora arescant, hincque regionum talium incolæ atrabilarii & hæmorrhoidales tam frequenter evadunt. Atrabilarii sunt illi, quibus ob rationem dictam habitus corporis siccus est & strigosus, quoniam scilicet sanguinis pars liquidissima exhaustur, ita ut sanguis vel per cutim vel è corpore educitus ullo modo ater appareat; hiscè fæces alvinæ ob humidi defectum lapidis ad instar durescunt.

Hæmorrhoidales sunt illi, quibus ob defectum liquidi indurantur fæces, quæ in angulo acuto illo à colo & recto intestino formato, ubi species est sacci li, hærent; undè fit, ut venæ intestinorum ibi sitæ & juxtâ pondus hærent, validè premantur & angustentur; undè sanguis ascendere non potens vasa adeò inflat, & distendit, ut rumpantur in locis ubi minima est resistentia; nempe circa podicem; quandòque intrâ, tum

tum hæmorrhoides cæcæ appellantur, quandòque extræ, tumque apertæ audiunt; hiscè hominibus lubricantia plurimùm profunt.

Cor. 11. Lubricantia dicta sæpe numerò plus conferunt ad purgationem promovendam quam validissima purgantia, præsertim in hominibus præced. corol. descriptis, notunt enim Itali & Hispani medici quod si homines statim descripti essent purgandi, iisque acria purgantia exhibentur, anxietates, sudores, vomitus, aliaque symptomata mala nullâ sequenti purgatione, oritura essent; si verò lubricans aliquod, ut oleum, &c. iis propinaretur, alvum statim secutur laxam non ignoravere. Ratio verò quare his acria & fortia nocent, est quia purgantium acriorum vis in parte tenuissimâ & volatili consistit; hi jam, quibus viscerum robur adest, omnes has partes purgantes in interiora pellunt; undè totum corpus stimulatur, & turbatur, & diaphoretica etiam evadunt, quæ solummodo purgare debere; in frigidioribus verò Regionibus contrarium obtinet, in iis itaque convenient fortiora, ut hydragoga & cholagogia.

**Coroll. III.** Alvus horum medicamentorum ope mota, non deinceps evadit stricta, ut aliorum purgantium operatione solet; ratio est, quia intestinorum & vasa & glandulæ non adeò deplentur ab his, ac à fortioribus catharticis, proindèque finitâ eorum operatione sufficiens liquoris quantitas ad intestina lubricanda in glandulis præstò est, in hominibus verò fortioribus secùs se res habet.

**Cor. IV.** Optimus lubricantium est usus, quando in intestino colo infarcitæ & induratæ harent fæces: quod fit in hominibus cor. 1º. descriptis, & infantibus recens natis, quibus solvi debet alvus suppositorio ex sapone; si enim per catharticum ore assumptum expulsio fæcum tentetur, convulsi perirent.

**Cor. V.** Hæc medicamenta nocent hominibus, vel biliosis, vel laxis, vel aquosis. Biliosi propriè sunt, quibus nimia bilis copia per intestina fertur, refluxu versus hepar impedito, cùm itaque bilis per intestina fluens eadem satis superque lubricet; non debent alia his propinari lubricantia. Laxi sunt, quibus ventriculi & intestinorum viæ piamis labricæ flaccidæ fiunt. Aquosi

dicuntur illi, quibus in omni parte corporis pars sanguinis aquæ accumulatur, quales ii sunt quibus calor expellens, & perspiratio defunct, ac proinde iis omnia sunt laxa; hi itaque non lubricantibus, sed acerrimis, semper sunt purgandi.

II. Eccoprot. class. continet ea, quæ fæces nimis cohærentes diluendo movent; qualia sunt, 1) Aqua communis, quæ si eâ lege potetur, ut ad intestina vergat, non autem ad peripheriam corporis, fit diluens purgativum: tender autem per intestina, si hæc 4 observentur, quæ observari etiam debent in usu omnium eccoproticorum, nempè 1º. Ut sumatur manè vacuo ventriculo. 2º. Frigido sub Jove. 3º Ut vitetur sudor. 4º Ut determinetur versus intestina leni deambulatione in frigido aëre. 2. Aquæ minerales, sive acidæ sint, sive Spadanæ, sive semimercuriales, ut Granenses, sive sulphureæ, aut vitriolicæ, ut Britannicæ. 3. Animalium aquæ, quales sunt, 1º. Lac, quod si recens hauriatur, observatis conditionibus prædictis, fæces diluit, alvumque laxat, 2º. Serum lactis eodem modo sumptum; si verò corpus moveatur tūm diaphoreticum, vel diu-

reticum evadit. 3°. Lac ebutyratum. 4°.  
Juscula animalium. 5°. Omnia ex præ-  
cedentibus composita. 6°. Fomenta &  
clysmata, &c. ex præcedentibus præ-  
parata.

**Cor. I.** Conveniunt hæc omnia ho-  
minibus. cor. 1°. class. lubric. descrip-  
tis; ergò nocent laxis, biliosis, aquo-  
sis; magis verò laxis, biliosis minùs  
nocent quām lubricantia, quoniam  
magis aquosa sunt. Hincque si aquæ  
minerales propinentur in hydrope à  
vasorum laxitate ortâ, certissimè mor-  
tem arcessunt.

**Cor. II.** Optima sunt adjumenta in  
febribus ardentibus, & morbis omni-  
bus inflammatoriis, sivè sumantur per  
os, sivè per anum, sivè fomenti specie,  
sivè aliâ quâcunque ratione.

**III<sup>a</sup>.** Eccoprot. class. continet ea,  
quæ intestina leviter stimulando fæces  
indè expellunt, absque reliqui corpo-  
ris turbatione; hæc apud nos lenitiva  
audiunt; veteres ea dixerunt minorati-  
va, i. e., quæ copiam fæcis expellen-  
dæ non semel & simul, sed per vices  
expellunt. Huc itaque spectant medi-  
camenta omnia, quæ ventriculo & in-  
testinis assumpta, valent eorum villos  
excitare in motus excretorios; hoc au-

tem fieri debet reliquo corpore non perturbato, ideoque seq; duas conditiones omnino sunt necessariae, nempe 1<sup>o</sup>. Ut haec medicamenta sint aliquantulum acria. 2: Vel ut sint adeò crassa, ut lactea ingredi nequeant, vel ut determinentur versus intestina, nec in massam sanguineam recipientur; constat enim nonnulla purgantia, si cum sanguine misceri prohibeantur, per inferiora ducere: si contrà, tūm per alias vias operari, ut serum lactis. Horum medicamentorum nonnulla ex animalibus desumuntur, suntque 1. Succi acres animalium ut 1) Urina, quæ epota & aëre frigidiusculo ad interiora determinata, purgat, eadem quandòque evaporatur in simenza; undè pillulas conficiunt, quæ alvum laxant, modò perspiratio impediatur. 2) Bilis, quæ acrimoniam suā agit, debet autem parùm inspissari, ut fiat instar saponis cum quo magnam habet convenientiam. 3) Lac, quod aliquando dum acescit in ventriculo, suā itidem acrimoniam purgat; undè videmus optimos Practicos phtisicis lac ovillum, caprinum vel asininum exhibere, quo alvus laxa servetur. 4) Serum lactis, quod saponaceum habet saporem, & si acescat,

fit acris. Unde stimulando purgat post lenia tormina, quæ indè oriuntur quòd ab acreidine fibræ irritantur, istæ autem irritatæ se contrahunt, sicque inter partes contractas aër, aliaque includuntur, quapropter aër elasticitatis suæ vi expanditur, fibrasque valdè urget & distendit; undè tormina, contractione solutâ, statim plerumque sentimus fæces è loco, ubi spasmus erat, versùs anum descendere, quæ paulò post expelluntur. 5) Lac acidum. 6) Caseus recens, qui in corporibus, in quibus non benè à bile digeritur, & subigitur, in ventriculo commorando acris evadit, ut sæpè contingit in infantibus. 7) Coagulum lactis, quod in ventriculis vitulorum reperitur; hoc aliquando gustatum cum horrore alvum moveret. 8) Ova putrescentia, quæ non nunquam olfacta tantum, ventriculum per superiora & inferiora movent, intus verò quantitate admodum exigua assumpta vehementer purgant.

2. Quædam ex solidis animalium partibus, uti 1<sup>o</sup>. Omnia quæ solidis animalium partibus continentur, ut unguibus, ossibus, carnibus, si recentia sint & in meracum liquidum coquuntur, fiunt salina, & sal hic non est sal

volatilis planè , sed salis ammoniaci  
instar semivolatilis & semifixus , quæ  
proprietas hīc est requisita. 2° . Semi-  
putrida omnium animalium , sic caro  
semiputrefacta alvum laxat. Si magis  
putrida sit , diarrhæam parit ; si magis  
adhuc , dysenteriam , ut sæpè videmus  
in hominibus oleosis & obesis , idem  
dicendum est de lardo , pinguedine ,  
medullâ. 3° . Animalia quædam integra  
devorata cruda , ut ostrea quibus al-  
calina est natura , ut videmus ex li-  
quore illo subsalso gratissimo in conchis  
contento , sic & pisciculi minimi spi-  
culis armati , quorum vis laxativa non  
debetur qualitati alicui specificæ , sed  
spiculis istis stimulantibus. 4° . Anima-  
lum succi , carnes , pinguedines , ova , &  
cætera cuncta , si muriâ seu sale marino  
condita sint ; ex eorum autem smeg-  
mate oleoso , & sale fit tertium quod-  
dam compositum , quasi saponaceum ;  
huc pertinent salsa menta omnia , quo-  
rum usu diurno in classibus navalibus  
diarrhæa sæpè oritur. 5° . Stercore ani-  
malium , quæ salem continent , qui ad  
naturam nitri proximè accedit ; Itali  
hinc ( ut stercore pavonum , columba-  
rum ) pro alvo laxandâ utuntur , op-  
tima sunt quæ ex animalibus vegetabi-

I iiii

lia solummodo de parasitibus de prompta sunt, quoniam aescunt. Sales è stercoibus extractos nitrosos esse inde constat, quod si stercora in acervos collecta & plantarum exustarum cineribus conspersa putrescere permittantur, sal, qui solvendo, evaporando, crystallisando ex iisdem colligitur, in crystallos planè nitrosas concrescit. Hoc præcipue obtinet in animalibus sale marino non utentibus. Huc referendi sunt succi expressi ex stercore animalium; hinc in febribus, aliisque morbis acutis, ut in variolis, morbillis, &c. ubi alvus laxari debet absque multis turbis, laudantur stercoris caprini, ovini & similiū succi.

Medicamenta eccoprotica leniter stimulantia ex vegetabilibus quoque habentur plurima, suntque omnes fructus horæi, crudi, maturi, acres, acerbi, acidi, dulces, ut poma, pyra, pruna, baccæ, nullis exceptis, quorum alia plus, alia minus, omnia verò flatu excitare solent.

Vis eorum eccoprotica à sale acri pendet, qui intestina leviter & successivè stimulat. 2º. Fructuum dictorum succi expressi, sive crudi, sive in syrum decocti. 3º. Fructuum horum partes non

solubiles, ut cortices, furfura, acini, &c. quæ in ventriculo retenta acorem satis notabilem contrahunt, undè lenia quasi epispastica seu stimulantia evadunt, & cum torminibus purgant, ideoque indè sæpenumerò in infantibus tenellis, quorum ventriculi hæc minùs solvere & digerere possunt, mala oritur diarrhæa, ut etiam aliquandò ex uvis Corinthiacis, prunis, & similibus: illæ etiam uvæ non dissolvuntur in ventriculo, sed integræ cum reliquis fæcibus rejiciuntur, hinc si non sat citò expelluntur, vehementem acorem contrahunt, & intestina vehementer nimis stimulant, undè diarrhæa.  
4º. Flores plantarum nonnullarum, ut violarum, rosæ pallidæ, sive subrubræ, persicæ, vel in pulvere vel conservâ assumpti. 5º. Sapones nativi, ut sunt 1º. Mel, cuius acrimonia indè patet, quod ulcera & vulnera deterget; huc spectat mulsum. 2º. Saccharum, quod cùm sal sit ex arundinibus saccharatis collectus, necesse est ut stimulet. 3º. Manna, quæ est plantarum succus ex iis fluens eo tempore, quo sal & oleum intime sunt unita. 4º. Sapæ, omnes, i. e. inspissamenta ex succis maturis coctis, huc referuntur

quoque succi fructuum maturorum recenter expressi; ut cassiae, tamarindorum, item egregius ille sapo, aloe dictus: huc etiam referuntur gummi aromatica acria, ut ammoniacum (cujus vis stimulans non solum ex sapore acri appetet, verum etiam ex eo quod cuti applicatum stimulando perspirationem promovet) bdellium, sagapenum, opopanax, galbanum, myrrha, & ejus generis omnia, quae partibus suis viscidis intestina lubricant, acibus vero stimulant.

Medicamenta nonnulla eccoprotica leniter stimulantia ex salibus solis constant; suntque 1. Sales fixi vegetabilium nativi, qui sunt duplices, nempe 1<sup>o</sup>. Qui ex succis plantarum crudis extrahuntur crystallisando, hique vel (a) ex succis plantarum minimè acidarum, & hi sales quandōque alcalini sunt, quandōque nitrosi, omnesque in aere fluere solent; vel (b) ex succis plantarum acidarum, hique terrestres magis sunt, & tartareæ naturæ ferē; horum dosis est à 3*iiij* ad 3*vij* in iuscule. Maxima plantarum vis hisce in salibus consistit, undē essentiales dicuntur. 2<sup>o</sup>. Sal, qui vaforum lateribus, in quibus succi plantarum fer-

mentescunt, adhærere solet, tartarus dictus, qui sal acidus est, in aëre nequaquam fluens, ejus crystalli audiunt, tremor; dosis 3*β* ad 3*j.* in juscule agit vi acoris sui, intestina scilicet stimulando, nunquam vero lactea ingreditur; solvi enim non potest nisi alcalino fortissimo, ebullitione vehementi & aquâ copiosâ, ut docet experientia, ideoque neque lymphâ nostrâ, nec calore nostro solvi potest, ita ut sanguinea vasa ingrediatur; difficilis hujus salis solutio indè quòque patet, quòd si aqua, in quâ ebullierit, refrigeretur, & parùm evaporetur, tremor supernabit, & reliqua pars, quæ imagis fixa est, gradatim subsidet, usque dum sal totus aquam deseruerit.

2. Sales vegetabilium fixi artificiales, nimirum: qui ex plantarum combustarum cineribus extrahuntur; hique sunt duplices, nempè 1°. qui ex plantis leni igne combustis educuntur, suntque non valde acres aut urentes, quoniam olei paululùm admixti habent. Hi facile dissolvuntur, ideoque vasa lactea intrabunt, nisi regimine supra dicto impediuntur. Dosis 3*j* ad 3*β*. 2°. Qui plantis igne valido combustis educuntur, hi omnes sunt corrosivi, ideoque

sumi debent in aquæ satis largâ copiâ.  
Dosis gr: 1*v* ad 3 *β.*

3. Sales omnes fossiles nativi, sic  
sal marinus ad 3 iij, sumptus ecco-  
protici vices gerit, si modò regimen  
antedictum observetur; aliàs enim si su-  
matur v. gr. in lecto calido, aut in  
aëre ad eundem gradum cum lecto in-  
calefaciente, diureticus fit, & in ma-  
jori adhuc calore diaphoresin excitat;  
facilè enim ab humoribus nostris dis-  
solvit & lactea ingreditur, idem di-  
cendum est de borace, sale gemmæ,  
& ammoniaco, qui ad 3 *β.* sumuntur;  
idem de nitro & alumine, quæ ad 3*i*  
sumuntur, nec non de vitriolo, quod  
ad 3*i* sumptum vomitum ciet; ad gr:  
vj catharticum est, præsertim si ad can-  
dorem tostum fit. Pro medicamentis  
eccoproticis, quæ stimulando agunt,  
habenda quòque sunt omnia dura acu-  
ta & rigida, quæ digeri nequeunt, ut  
limatura ferri, &c. ut & antimonium;  
constat enim stimulantibus & rigidis  
partibus, quarum vis stimulans & rigi-  
ditas nullo menstruo destrui potest;  
adeòque gravitate suâ & figurâ lacry-  
mas è glandulis intestinalibus educit.  
Hùc spectant omnia corpora aspera,  
ut ossicula & spinæ animalium; hinc

anguillæ cum spinis suis coctæ ab hel-  
luonibus ad catharsin movendam devo-  
rantur. Acini quòque omnes vegeta-  
bilium , ut uvarum, baccarum sambuci-  
narum , &c. stimulando purgant. Vege-  
tabilium quòque coctorum cadavera, ut  
vocantur , ut omnia olera cocta , sci-  
licet spinachia , endivia , lactuca , &c.  
horum enim ultima solida dissolvi non  
possunt , quapropter rigiditate suâ sti-  
mulant.

Pro eccoproticis quòque habentur  
omnes sapones tām naturales quām ar-  
tificiales , sivè ore assumantur , sivè in-  
fernè specie suppositorii , clysmatis ,  
aut fumi , & quidem inter fumos præ-  
stat ille , qui ex tabaco vel colocynthi-  
de habetur , vel etiam ex utrisque simul.  
R. fol. tabaci Brasil. 3 j. vel 3 β. colo-  
cynth. gr. iiiij comburantur simul , &  
fumus per idoneam fistulam in intesti-  
num rectum injiciatur.

Cor 1. Medicamenta hujus 3 class.  
scilicet stimulantia , prosunt & no-  
cent omnibus iis , quibus medicamen-  
ta 1<sup>æ</sup>. & 2<sup>æ</sup>. class. prosunt , nocent vè.

Cor. 11. Medicamenta , quæ num.  
1<sup>o</sup>. & 2<sup>o</sup>. 3<sup>æ</sup>. hujus class. describun-  
tur , convenient in omni morbo inflam-  
matorio.

Cor. generale. 3. classes spectans.  
 Medicamenta eccoprotica in intestinorum crassorum, coli præfertim infarctu & obstructione sola conveniunt. Omnes fæminæ raræ & macilentæ, quæ strictam habent alvum, post partum languent, & melancholicæ fiunt, laborantque miserrimâ obstructione ex materiâ in intestino colo induratâ; du-  
 rities in isto loco satis manifestâ se pro-  
 dit ad tactum, & pro placentâ à non-  
 nullis habetur, ab aliis pro liene, cùm  
 reverà nil aliud est quâm farcimen in  
 intestinis crassis, nec aliis medicamen-  
 tis tolli potest; si enim purgantia for-  
 tiora dentur, magnæ statim excitantur  
 ærumnæ, ut vomitus, colica & hyste-  
 rica passio, quapropter eccoprotica per modum clysmatis injicienda sunt  
 ad istius infarctus remotionem. Con-  
 ducent etiam eccoprotica artificibus  
 melancholicis, ut & viris litteratis,  
 quibus abdomen plurimum & frequen-  
 ter comprimi solet; tandem omnes lie-  
 nis, hepatis, &c. ab obstructione or-  
 totos morbos curant eccoprotica.



C A P U T V.

*De Phlegmagogis.*

**P**HLEGmagoga sunt, quæ lympham pituofam è corpore per anum expellunt; pituita est tenax & viscida materia muco isti similis, qui ex hominis sani naribus tempore matutino secernitur. Pituitæ hujus origo est duplex. 1º. In primis viis sæpenumerò nascitur ex victu viscido in iis, quibus viscera debilia, ita ut validè se contrahere nequeant, vel quia bilis & succus pancreaticus vitiantur, ita ut officium suum attenuandi, nim. dissolvendi, & à coagulo conservandi chyli præstare non possint. 2º. Pituita sæpiissima fit ex liquido non pituitoso ut ex salivâ, muco palati, æsophagi, ventriculi, intestinorum, quæ aquosa sunt, sed tamen partes quasdam habent facilè coalescentes; pituita ex dictis liquidis dupliciter fit, (a) si caloris vi parte liquidissimâ priventur hæc liquida, sic in febribus ardentibus liquida nostra inspissantur; docet enim experientia quod si liquida nostra eidem caloris gradui, ac est ille corporis febre ardenti laborantis exponantur, ci-

tò inspissentur. (b) Stagnando inspissantur ; tales quippè liquores , si moti & agitati non sint , brevi coeunt , eorumque pars liquidissima sensim avolat , undè fit inspissatio. Ex mechanica corporis nostri structurâ patet vasa secretoria longè esse minora vasis sanguiferis ; hinc per ea tenuissima tantum secerni possunt , & quidem tenuiora longè quam iste sanguis ; ergo pituita , quæ tenax est & crassa , non immediate ex sanguine excernitur ; nam quod dicunt de crasso muco , scilicet illam è glandulis Schneideri excerni talem , qualis apparet , minimè verum est ; si enim à frigore contracta membrana Schneideriana inflatur , secernet humorem aqueum & limpidum , qui manè proximo postquam homo dormierit , genusque nervosum quieterit , mucus crassus evadit , nempè stagnando , talis est redditus. Ergo nondantur vasa , quæ talem pituitam in sanguine præexistentem secernere possunt. Ergo non dantur talia phlegmagoga , quæ materiam tam crassam præexistentem ex vasis secretoriis educant , sed phlegmagoga sunt duplia ; 1<sup>o</sup>. Quæ materiam ex suâ naturâ ad coalescendum aptam è sanguine per intef-

tina educunt. Omne Phlegmagogum agit vel in ipsa intestina , vel in ipsam pituitam , ut enim ea educatur , apta debet reddi ad fluorem ; hoc autem fit , vel pituitam acri dividendo , eidemvè liquidum aliquod fluidius addendo , vel augendo motum solidorum stimuli ope , ita ut pituita ab iisdem conteratur .

1<sup>o</sup>. Phlegm. class. continet ea , quæ pituitam diluendo educunt ; ut sunt 1<sup>o</sup>. Aqua calida epota , aut clysteris modo injecta , modo aér sit frigidus , & æger leniter deambulet ( ne sudet , cavidum) & si per os assumatur , ventriculus sit vacuus . 2<sup>o</sup>. Aqua cum saponaceis , ut aqua mulsa fervida epota , cum supradicto regimine , quæ valdè resolvit , nam si adsit sanguinis coagulum , aqua fervida simplex lentè illud dissolvit , mulsa citius , idem facit aqua cum cassiâ & mannâ permixta , ut & cum saponea veneto Philosophorum , naturali animalium , i. e. bile . 3<sup>o</sup>. Gummi saponacea , scilicet viscida corpora , quæ simul in aquâ solubilia sunt , & quodammodo acria , talia sunt aloë , ammoniacum , affa fætida , bdellium , galbanum , myrrha , opopanax , sagapenum , tereb. nativa , sumuntur hæc aquâ fervidâ soluta , eâ enim ratione multò melius agunt . 4<sup>o</sup>. Aqua calida

cum omnibus salibus vegetabilibus, acidis exceptis, tales sunt tartarus, aliique in tertia eccoprot: classe enumerati. 5<sup>a</sup>. Omnia in 2<sup>a</sup>. & 3<sup>a</sup>. eccoprot: classe.

11<sup>a</sup>. Continet ea, quæ agunt quatenus ipsas fibras intestinales excitant in motus, quorum ope pituita pressa, & contrita in varias partes dividitur, tandemque exprimitur. Talia sunt omnia acria viscida non nimis volatilia, in quibus acre ita ab aliis partibus irrititum est, ut licet ex solvantur, hoc tamen ab iisdem non separetur, sed in parte, cui istæ applicantur, defixum maneat; proinde nec exhalare nec in lactea penetrare valeat; hujus generis sunt omnia classe præced: narrata. Huc spectat oxymel, quo nil melius ad pituitam solvendam; huc porrò spectat elixir propri. melle addito inspissatus, tinctura acetosa cum aromatibus acer- rimis; hiera picra Galeni; omnia gummi purgantia num: 3<sup>a</sup>. class. 1<sup>a</sup>. memorata, mercurialia lenia, ut mercurius dulcis aëre frigido sumptus, qui ad interiora determinatur ut salivatio evitetur; mercurius sublimatus minimâ copiâ sumptus, ut  $\frac{1}{2}$ . grani: antimoniun cum nitri pauxillo, ut antim. diaph. gr. xv. Omnia medicamenta

emetica & vehementer stimulantia minori dosi sumpta. Præterea dantur adhuc phlegmagoga, officinalia dicta, illa verò omnia agunt stimulando fibras per acre quodpiam volatile maximè stimulans, quod per partes viscosas irretitum & retentum est, talia sunt 1°. Agaticus quod fungus est arbori lari ci accrescens, cuius crudi dosis minima est gr. x maxima 3ij, aliquandò 3ij in hominibus robustis; si decoquatur in aquâ, & deinceps ejus succus expressus coletur & bibatur, duplicari debet dosis prædicta; vini spiritui immissum dissolvitur ac si esset sperma ceti: dosis ad 3ij. ità verò intumescit, & spongiæ instar dilatatur, ut vix elici queat tinctura. Agaricum bonum gustui præbet primò saporem dulcem, viscidum, ac redinem tandem valde amaram post se relinquentem; ergo vis ejus est planè stimulans. 2. Semina carthami, quorum dosis est à 3i ad 3ij; si decoctum ejus sumatur, duplicanda est dosis: tormina ve hementia excitant cum abdominis inflatione, si in substantia assumentur; hinc corrigi solent zinzibere, aniso, cardamomo, &c. quibus fatus discutuntur; sapore amarescente & viscido

donantur. 3. Colocynthis, quæ est species cucumer: Fructus hic seminibus orbatus & exsiccatus medicamentum constituit purgans, amaritudinem habet violentissimam, sed inviscatam, & propter viscositatem suam facile intestinis adhærescit, tantaque est illius acrimoniam, ut mortem sæpè adferat, testantibus filiis Prophetarum 2. Reg. 4. Dosis in substantiâ à gr: iiiij ad 9j, sed non sine periculo datur, summa enim tormenta excitat & in intestinis ulcera producit, imò quandòque sanguinem extrahit. Menstruum ejus optimum est aqua, ex quâ fit extractum: dosis eadem est ac in substantiâ, ac effectus æquè efficax, & absque tam horrendis tormentibus. Extractum per sp: vini in corporibus frigidis & puitosis plurimum valet, fuit hoc arcanum Martini Rulandi tit: tinturæ aureæ, qualem præbet; dosis erat ad 3ij vel iiij syrupo edulcorat: addere solebat caryoph: aut tale quidpiam, ne fucus detegeretur: hæc tintura inspissata & exsiccata dat resinam, cuius dosis à gr: iiiij ad viij. 4. Euphorbium, quod est succus plantæ semine tricocco, maximè referentis tithymalum nostrum; ex pallido flavescit, lin-

quam urit acrimoniam igneam diu inhærente; maximè viscidum est, indèque tenaciter admodum adhæret intestinis, nec nisi spiritu vini aut salis indè dimoveri potest, & solvi. In minimâ dosi scilicet gr: ss. valde purgat; dosis ejus maxima ab Empyricis audacibus præscripta est xij gr: In hominibus facile motis primò mucum abradit, deindè sanguinem elicit; optimè vallet ad hydropicos, in quibus vis ejus plurimum frangitur; dissolvi potest in aquâ, sed tūm horrendi est saporis; hinc ita præparatum in usum non venit. In spiritu vini solutum majorem acquirit vim: ideoque dosis ejus ad gr: iiiij maxima reducenda est; in spiritu extrahitur pars spirituosa & resinosa, terrestri relictâ. Si cum acetato coquatur, ejus tota vis perit. 5. Hermodactylus, quæ est radix gummosa, quæ masticata salivam reddit viscosam, estque sapore amaro nauseabundo. Dosis in substantiam à gr: x ad 3ij cum aquâ decocta duplicatâ dosi dari potest. In alchohole vini pars tantum resinosa educitur, in spiritu vulgari extrahitur corpus ex resinosis partibus constans. 6. Jalappa, quæ est radix plantæ mirabilis Peruvianæ dictæ, quæ tot flores,

totque diversis coloribus præditos fert; masticata totum os visco obducit, & paulò post fauces exulcerat; lentè deglutita linguam, fauces & æsophagum quasi comburit, quod malum aceto corrigi potest. Dosis in substantiâ pro infantibus maximè contra vermes est ad gr: viij. ix. In adultis maxima dosis 3v. rarissimè fallit nisi multùm acidi in ventriculo sit: acida enim ejus vires destruunt. In aquâ decocta, dosis duplicitur, citius hoc modo operatur & minoribus cum torminibus, additur mel, saccharum, vel simile quid ne fauces exulcerentur. Si gr: ix. cum spiritu vini vulgari coquuntur, elicitur extractum ex partibus oleofisis, sive resinosis & salinis constans, cuius dosis eadem ac in substantiâ. In alchohole soluta & inspissata dat resinam, cuius 3i æquivalet 3i crudæ. 7. Mechoacanna, quæ est species bioniae, undè sœpè bronia alba dicitur, benignius operatur quam jalappa, gummosa, viscosa & acris est, ejus dosis est à gr: xij ad 3i fl. in aquâ & spiritu vini, ut jalappa solvatur. 8. Pruna quædam myrobolani dicta quia viscosa sunt & glandulis similes; variæ sunt eorum species, quæ pro loci nativi,

coloris, aut magnitudinis diversitate distinguntur. In officinis 5 species proftant hoc disticho memoratae.

*Myrobalanorum species sunt quinque bonorum*

*Cytrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus.*

Omnes hi fructus sunt viscosi cum sapore terreo, astringenti & acri; hinc satis vehementer purgant, postea vero constipant; valde acerbi sunt, & non facilè solubiles. Dosis est à 3ij ad 3vj.

9. Gummi gutta, quod est gummi aromaticum Arabicum, expellit materiam instar muci narium, dosis gr: xv ad 3v. In vitello ovi aut melle solutum duplicum acquirit vim, menstruum enim sese interponendo inter partes viscosas exitum praebet acribus. In aquâ minima tantum ejus pars dissolvitur, quod tamen solvit, satis vehementer operatur. 10. Turbith gummosum, species bulbi, sive radicis gummosae; vocatur gummosum, quia masticatum talem, qualem gummi, præ se fert viscositatem cum acri amaro intermixto. Dosis est à gr: x ad 3ij. Decoccum ad 3i in aquâ lentè operatur, si spiritu vini vulgari solvatur, fit clysum continens aquam, oleum & fa-

lem, benignè satis agens; si in alco-  
hole solvatur, fit resina optimè pur-  
gans, adeò ut parùm refert, quâ ratio-  
ne præparetur. II. Mercurialia huc  
spectant, & imprimis mercurius dul-  
cis, qui si detur subtilissimè tritus, fit  
fialagogus, si grosso modo phlegma-  
gogus, non enim facilè solvit in  
menstruis; dosis à gr: ij ad 3ij atque  
hæc sunt phlegmagoga veterum, mer-  
curio excepto: recentiores his addidere  
mannam & aloen. Manna est corpus  
viscosum continens quandam acrimoni-  
am. Aloe hoc habet quod viscosita-  
te suâ & amaritie bilem referat, quæ  
bilis apud Hipp. clyssum naturale au-  
dit. Dosis à  $\frac{1}{2}$  gr: ad. 3j. Bryonia etiam  
his addita est, estque radix fungosa &  
crassa maximè pituitosa & sapore hor-  
rendo, dosis in substantiâ est à gr: iii  
ad 3j ss. In aquâ aut cerevisiâ decocta  
pituitam lentè, sed cum vomitu & vi-  
rulentiâ educit; sapor ejus in decocto  
intolerabilis est. In spiritu vim decocta  
& inspissata duplîcem vim; acquirit,  
convenit mulieribus, quibus menses  
ob pituitam uterum obsidentem ob-  
structi sunt. Polypodii quercini radix  
viscositatis & acrimoniæ vi quòque  
agit.

*Corollaria*

Corollaria phlegmagogorum solutio-  
nem spectantia. Omnia enarrata phleg-  
magoga constant parte viscosa , quæ  
vel gummosa , vel resinosa est , & sale  
volatili penetranti , sed inviscatâ . 1.  
Si corpus , in quo neque salina , nec  
gummosa , nec resinosa pars prædomi-  
netur , solvatur in aquâ , quod post  
solutionem manet , vim purgantem re-  
tinebit ; quamvis aquæ quoque vis pur-  
gans communicata sit. Si residuum il-  
lud spiritui vini vulgari immissum sit ,  
quod in eodem immissum remanet ,  
erit purgativum. Si residuum illud se-  
cundum in alchole vini solvatur ,  
quantum fieri potest , quod remanet ,  
erit iners planè , instar capitis mortui  
& non purgativum. 2. Si corpus , in  
quo salinum prædominetur , in aquâ ,  
quantum fieri potest , solvatur , quod  
manet , erit iners , ut evenit in cor-  
poribus non resinosis , sed gummosis ,  
qualia sunt agaricum & bryonia. 3. Si  
corpus fuerit semi-salinum & semi-resi-  
nosum , et si in spiritu vini vulgari ,  
quantum fieri potest , solvatur , quod  
remanet , erit iners. 4. Verum si solum  
resinosum prædominetur , tum omnis  
eius vis purgativa alchole vini extra-  
hitur , & quod remanet , erit iners 5.

K

Si tres solutiones coroll: 1º. dictæ commisceantur, & lento igne insipissentur, corporis soluti vires integras, sive quintam essentiam inde habebimus. 6º. Omnia hæc extracta in aëre aperto conservata, nauseabundum spirant odorem, quo cessante perit eorum virtus, sed remanet pondus. 7º. Omnia hæc cocta cum acidis, ut aceto, oleo vitrioli spiritu nitri, spiritu sulphuris per campanam vim suam amittunt.

### *Corollaria Præctica.*

Expositorum medicamentorum usus est necessarius in hominibus, quibus viscera prima, i. e. organa, quibus chylus conficitur, debilia sunt. Organa ista sunt duplicis generis, nempe, (a) Os cum suis instrumentis masticationi inservientibus, æsophagus cum suis musculis digerentibus, intestina cum suis musculis comprimentibus. (b) Diaphragma quatenus motum iis omnibus communicat, musculi abdominales & pectorales, motus arteriarum & hepatis.

2º. Phlegmagogorum usus perquam necessarius est in omnibus morbis ortis à chylo propter inertiam bilis vitiato; bilis enim menstruum est, cuius effi-

caciâ visciditas ciborum maximè superatur & resolvitur ; quapropter si vel nimis iners est , vel nimis parcè in intestina fluat , brevi pituita & phlegma circa intestina crescunt ; unde homines taliter affecti hydropici aut pituitosi redduntur ; illis phlegmagoga parvâ dosi , ast sàpè repetitâ prosunt : maximè convenient quòque in omnibus morbis frigidis , i.e. iis , qui pendent ab inertiâ primorum viscerum & menstruorum , ex quibus duobus vitiis oriuntur tumores albi , leucophlegmatici dicti , infarctus abdominis , hydrops , pallor virgineus , &c.

3. Phlegmagoga iis prosunt , quibus pallor totius corporis , visciditas salivæ , succi pancreatici & intestinalis adsunt , in quibus fæces quasi pituitâ obvolvuntur ; rubedo corporis pendet à sanguinis rubidine , hæcque à circulatione per vasa , & inprimis per pulmonaria , in quibus minimæ particulæ violenter compinguntur à vi resistente vasorum , contra vim impellentem cordis ; undè fit ut adigan- tur in massulas solidas & rotundas ac proindè rubras. Hinc si pallor corpus occupet , novimus ex naturâ morbi : 1º. Vel vasa esse nimis laxa. 2º. Vel

K ij

sanguinem deficere. 3º. Vel cor non satis validè se contrahere, adeòque vim solidorum in fluida imminutam esse. Cùm enim hæc vis desinit, statim sanguis pallescit, ut docet experientia, nam sanguis ruber extractus & quiescens statim pallescit & solvitur in serum pituitosum. Hinc ergò phlegmagoga quæ diluunt, resolvunt & stimulant, plurimùm convenient, quoniam defectum motûs in primis viis, à quo cordis defectus maximè pendet, tollunt.

4. Phlegmagoga iis convenient, qui ex vitâ nimis sedentariâ, aut victu nimis viscido, ut solis farinaceis non omnino, aut saltem non admodùm, fermentatis, pallescunt, & pituitosi fiunt.

5. Optima methodus curandi morbos, 4 præcedentibus coroll. numeratos, sic se habet, nempè 1. per aliquot dies præparetur corpus exhibendo ea quæ viscera stimulant, & pituitam diluunt & resolvunt; qualia sunt ea, quæ exposita sunt 1º. & 2º. num: 1º. classi, ubi agitur de saponaceis & gummi fætidis, nec non iis, quæ constant ex aquosis & solibus artificiosis alcalinis fixis. 2. Materia soluta & admodùm habilis reddita expellatur per phlegmagoga in 2º. classe descripta, e, gr. sit

homo toto corpore frigidus , pituitosus , iners , cruda & non facile solubilia comedat , indeque ipsi metus hydropis instet , curatio instituitur , ipsi dando saponis Veneti in pillulas redacti singulis horis gr: i, post singulas pilularum doses gr: v ad x salis petræ , aut Glauberi fixi , aut salis tartari fixi , aut cinerum clavellatorum , sive gummi ammoniaci ex vino Hispanico aut aquâ menthæ , post horum per aliquot dies usum detur quolibet vesperi pillula ex aloe ad gr. iij vel jv. & manè sequenti eadem pillula cum gr. j sive  $\frac{1}{2}$  euphorbii , sic brevi curabitur æger.

6. Hinc patet quod purgantium debet exhibitorum ope infiniti morbi curari possunt , non obstante sententiâ Helmontii & aliorum Chemicorum , qui dicunt omne purgans esse venenum , ac proinde corpus semper debilitare.



## C A P U T V I .

*De cholagogis.*

**P**RISQUAM veram cholagogorum naturam & effectum exponamus, eorumque classes enumeremus, veterum de iisdem expendemus sententiam. Antiqui dupliceim agnovere bilem, unam atram sive splenicam, alteram flavam sive hepaticam. Medicamenta priorem purgantia, melanagoga, posteriorem cholagoga vocavere; quo nomine donabant omnia illa medicamenta, eaque sola, quae fæces, bilem cysticam colore flavo, aliisque proprietatibus referentes expellebant; quæ quidem ratione in dupliceim errorem delapsi sunt, namque 1. E cholagogorum numero excludebant nonnulla medicamenta verè cholagoga, nimirum medicamenta bilem hepaticam strictè dictam moventia. Hæc etenim bilis, si in sinu Glissoniano examinetur antequam cum bile cysticâ commista sit, omni caractere, scilicet sapore, odore, colore, tenacitate lympham planè refert, ac proinde licet cholagogorum ope educatur, tamen fæces inde non

flavescunt. 2. Sæpenumerò pro cholagogis habuere, quæ reverà talia non sunt, prout statim patebit. Bilis cystica distinguitur ab omnibus aliis corporis liquidis 4 hisce characteribus, 1.) Amaritie suâ. 2.) Flavedine. 3.) Splendore suo lucente. 4.) Spissitudine, sive tenacitate suâ. Ex præsentia trium posteriorum characterum in fæcibus alvinis (de primi præsentia nil dicere potuere, quoniam fæces gustare non solebant) easdem biliosas esse concludebant antiqui & consequenter medicamenta omnia, tales fæces expellentia, cholagogæ nominavere, sed temerariè admodùm; nam flavedo ista & splendor relucens, quæ quandòque in fæcibus viscidis per cathartica expulsis observantur, possunt esse progeniem ipsorum medicamentorum contenta, & præcipue mucum intestinorum, flavedine relucente inficientium, licet bilis ne minimum quidem adsit: sic cassia parvâ quantitate sumpta, urinam & fæces flavo tingit colore (quem ne quis bili tribuat) si majori quantitate sumatur, viridem inducit, si majori adhuc, atrum; ex manna assumptâ flavescunt quoque fæces, ut ex tamatindis, à quibus pituitosæ quoque eva-

K iiiij

dunt; aloe in aquâ multâ soluta lefi-  
tescit valde, ipsamque bilem æmula-  
tur, & fæces semper flavedine tingit.  
Ex dictis patet quantum errabant an-  
tiqui, dum ex effectu, quem medica-  
menta habent, expellendi fæces instar  
bilis coloratas eadem reverâ bilem pur-  
gare concludebant. Rejectâ itaque ve-  
terum sententiâ, cholagoga omnia ad  
2. class: reducemos, quarum 1<sup>a</sup>. con-  
tinet omnia illa, quæ sanguinem he-  
paticum attenuando uberiorem bilis se-  
cretionem promovent 2<sup>a</sup>. verò conti-  
net omnia illa, quæ diaphragma & ab-  
domen violenter concutiendo, bilem  
ex hepate & vesicâ felleâ in intestina  
derivant, undè postea per sedes è cor-  
pore amandari potest, si modò opus  
sit.

Sub 1<sup>a</sup>. classe continentur omnia  
saponacea naturalia, ut succi omnium  
fructuum horæorum acido-dulcium  
maturorum, & uvarum, cerasorum,  
mororum, baccarum sambuci, &c.  
rubi idæi & vulgaris, pomorum, py-  
rorum: hæc omnia liquefaciunt ea,  
quæ in vasis hærent, adeoque etiam  
bilem, & quandoque in tantum ut cho-  
leram morbum arcessant. Huc maximè  
referendi sunt succi quarundam plan-

tarum manifestò saponacearum, ut succus lychnidis, saponariæ dictæ; hūc etiam spectant cassia, manna, mel, saccharum, tamarindi, succus rosarum pallidarum, aloe, scammonium, myrobolani, rhabarbarum. 2. Saponacea artificialia, quæ ex oleo & sale arte combinatis constant; horum variæ sunt species anteà enumeratæ; omnium autem præstantissima est ea, quæ ex sale alcalino volatili & oleo volatili conficitur. Hūc referuntur elixir propriet: ac syrapi omnes moderatè aromatici, ut syrups de artemisia, Fernelii, botrios, quinque radicum aperientium, cichorei simplicis & cum sennâ, violarum. Sumantur hi omnes in sero lactis, decocto taraxaci, vel simili diluente manè vacuo ventriculo.

Sub 11<sup>a</sup>. classe continentur omnia emetica fortiora, ut asari folia, emetica antimonialia, mercurialia, &c.

*Corollaria.*

1. Bilis nunquām evacuari debet, nunquām enim copiā peccat, nisi in iis omnibus, qui diū nimis à cibo abstinuere, quo in casu nil aliud requiritur, quam ut sumatur cibus.
2. Medicamenta hæc adhibenda sunt

in omnibus morbis , qui ab obstructio-  
ne hepatis , aut ductūs bilarii oriun-  
tur , ac proindē in ictero. At ab iis me-  
dicamentis tunc temporis abstinentia  
est , febrem enim sive potius inflamma-  
tionem , à qua febris oritur , adaugent.  
Icterus s̄apenumero procedit ab hepa-  
tis per cretaceas , gypſeas , calculosas ,  
aliasque concretiones obſtructione ;  
quandoque ab infarctu ductūs commu-  
nis per lapillum quem semper comita-  
tur vomitus enormis. Hic morbus stu-  
diosos ob vitam ſedenteriam plurimūm  
affligit , cuius debellandi hæc videtur  
optima methodus v. gr. detur quoti-  
diè ſingulis horis pill. ex ſapone Ve-  
neto , vel parūm aloes cum melle vel  
hiera picra parvā doſi , vel ſal poly-  
chrestus cum mellis pauxillo , ſmegma-  
tis ex rhabarbaro , & superbibatur po-  
tus tenuis ſaccharatus , vel mellitus vel  
ſyrupus violarum cum diætâ strictâ ; &  
continueretur horum uſus , donec con-  
cretiones resolvi incipiunt , quod ple-  
rūmque intrà unum vel alterum men-  
ſem fieri ſolet , quodque dignosci po-  
teſt ex mutatione coloris in urinâ , fæ-  
cibus & cute. Tùm exhibeantur emeti-  
ca fortia , quibus abdomen violenter  
concutiatur , & materia ſoluta expri-

matur (hæc non sunt in initio præscribenda, ne partem fluidissimam emungendo concretiones magis duras & fixas reddant) finitâ emetici operatione vesperi detur opiatum, se sensim assuecat patiens exercitio & cibis magis crassis. Qui fiunt à defectu bilis morbi, curandi sunt administrando ea, quæ facile solvantur, ut prisana, vitelli ovorum & similia, unâ cum saponis pillulâ.

---

C A P U T VIII.

**H**ydragoga sunt medicamenta purgantia, quæ aquam, i. e. serum intestinale salivosum educunt. Serum dicitur omne liquidum à sanguine secretum, quod nec pingue, nec rubrum est; estque vel concrescens ad ignem instar albuminis ovi in duram massam, & tale est serum sanguinis propriè dictum, vel non concrescens sed exhalans, & post se relinquens fæces crassas, sed non coagulatas; talia sunt saliva, sudor, urina. Serum ab hydragogiseductum est posterius illud; vocatur intestinale, quoniam in intestina deri-

K vj

vatur, idque dupliciter, nempè 1<sup>a</sup>: è glandulis oris salivalibus, nec non æsophagi, & palati glandulis extillat & deglutitur, 2<sup>o</sup>. Secernitur in intestina, scilicet 1) à glandulis hepatis per ductum hepaticum. 4. E glandulis intestinalibus ipsis. Liquidum hoc ope hydragogorum majori multò copiâ quam naturaliter fieri solet, educitur & per anum expellitur.

Hydragoga ad 3 classes revocari possunt, quarum 1<sup>a</sup>. continet ea, quæ hujus liquidi secretionem promovent, glandulas intestinales stimulando. 2<sup>a</sup>. Continet ea, quæ dicti liquidi secretionem promovent. 1) Sanguinem in partes non rubras solvendo. 2) Eundem ita solutum velocius movendo, quo majori copiâ ad glandulas intestinales secretorias applicetur. 3<sup>a</sup>. Continet illa medicamenta, quæ utrumque simul agunt.

## C A P U T V I I I .

*De primâ classe hydragogorum.*

**H**UJUS classis medicamenta ad intestinorum membranam intimam applicata eandem instar vesicatorii in-

vesicas tollunt, easque posteā solvunt  
vi suā causticā; undē sequitur conti-  
nuum lachrymarum intestinalium sti-  
licidium. Tota corporis superficies ex-  
terna, omnisque ejus interna plena est  
vasis liquidum modò dictum conti-  
nentibus, quibus si applicentur corpo-  
ra acria, quæ valent vasa ista solvere,  
simul & quæ tam crassa sunt, ut ea-  
dem intrare nequeant, liquidum illud  
educent, & vocabuntur vesicatoria aut  
hydragoga; prout huic aut alteri super-  
ficies admoventur, nempè internè, aut  
externè. Quapropter omnia acria ve-  
sificantia, quæ ita crassa sunt, ut venas  
lacteas ingredi nequeant, fiunt hydra-  
goga, nulio excepto; & quò magis acria,  
crassaque magis sint, eò quoque for-  
tiora sunt hydragoga. Hujus class. hy-  
dragoga duas debent habere condi-  
tiones, nempè 1°. debent in se contine-  
re quoddam tenue, urens, rodens, acre.  
2°. Illud urens debet ita in corpore  
gummoso aut resinoso involvi, ut non  
totum simul exhalet, sed successivè,  
undē fiet ut successivè rodat. Talia me-  
dicamenta duplia sunt, vel enim ex  
vegetabilibus, vel ex fossilibus desu-  
muntur. Quæ ex vegetabilibus sumun-  
tur, sunt 1. Radix mechoacanna, quæ

230 *De 1. clæse hydragogorum.*

jam inter phlegmagoga numerata fuit ; vites habet ferè instar jalappæ , in alcohole soluta tincturam præbet , quæ inspissata fit resina. Si tinctura illa in ore teneatur , os & fauces intolerabili ardore afficit , & salivationem excitat ; si verò deglutiatur , totum æsophagum & fauces inflammat , & humoribus opplet ; si resina masticetur , salivam vehementer movet , osque exulcerat ; si cum ovi albumine ulceribus sordidis applicetur , eadem abstergit. Dosis radicis est à 9j ad 3ij quæ dosis major est quām pro scopo phlegmagogorum requirebatur , quoniam in hoc casu stimulus fortior esse debet. Hydragogum nobilissimum est , sed non debet deglutiri , ne os & fauces lœdat ; præterea debet viscofo quodam involvi. 2. Jalappa , hæc si masticetur primò iners esse videtur , sed tandem acerrima esse sentitur ; tinctura cum alcohole facta in ore detenta os fauces exulcerat ; resina masticata intolerabilem dolorem & tumorem excitat , salivæque secretionem valdè promovet. Si in aquâ soluta assumatur , aqua vehementer purgat , ut & ejus tinctura scharo edulcorata. 3. Ebulus sive sambucus sylvestris , sive humilis , cujus

*De I. clāſe hydragogorum.* 231

fructu & cortice mediano utimur. Bac-  
carum dosis est à 3j ad 3v. succus ha-  
rum, ut & summiſatum, exhiberi fo-  
let ad 3 fl. ad 3j. Cortex medianus, si  
ad 3 fl infantibus, ad 3 fl. adultis de-  
tur, vehementiſſime aquam educit,  
fortius agit quam fambucus. Ebuli bac-  
cæ & cortex, si gustentur, saporem  
acrem & lalentem præbent. 4. Spi-  
na cathartica, vel rhamnus catharti-  
cus, sive tinctorius, eo enim utuntur  
pictores; baccarum succus expressus  
sumitur ad 3j. in syrūpum coctus ad  
3ij. secundum Sydenhami observata  
nil magis aquam purgat; succus in ore  
retentus saporem quasi igneum præ-  
bet. 5. Soldanella, quæ est herba ma-  
ritima & species convolvuli; apud Ba-  
tavos maritimos habetur pro divino  
medicamento; sapor est acerrimè fal-  
sus; usus est in acetariis, sed ab aceto  
vis ejus plurimum infringitur; herba  
est limosa, tenax cum acredine, al-  
vum purgat cum torminibus: dosis à  
3i ad 3 fl. 6. Gratiola, hæc saporem  
habet igneum amarissimum cum succo  
viscoſo; aquas educit cum tormini-  
bus summis, ſoletque vomitum exci-  
tare: dosis à 3 fl. ad 3ij in infuſione.  
7. Iris palustris, quæ noſtra dicitur;

232 *De I. classe hydragogorum.*

hæc vehementissimè agit: dosis in substantia est à 3i ad 3j. succus à 3 ss ad 3j sumitur; hicque inter potandum, si cautio non adhibetur, æsophagum in bullas summo cum dolore elevat, assumptø verò aceto, tollitur dolor. 8. Esula, huc referuntur tithymali & euphorbium; succus esulæ quoad colorem & consistentiam lacæmulatur; adeò verò acris est, ut si cuti applicetur, instar ignis exulcerat, estque adeò tenax, ut calore leni evaporatus in resinam abeat. Martinus Rulandus in Germania habebat arcanum quoddam pro hydropicis, qui ingenti numero ad eum confluabant, quosque omnes ferè sanabat: arcanum erat cortex esulæ decoctus in sero lactis & melle edulcoratus. Dosis esulæ in substantiâ est gr. iij ad viij. In infuso duplicatur dosis. 9. Gutta Cambodia, hanc plurimi dicunt esse speciem euphorbii, quod ex læsâ plantâ extillat; color flavus ipsi conciliatur, ne detegatur fucus; si gustetur, fauces exulcerat, faucibus tenacissimè adhæret, & vesicas excitat; optimum est hydragogum; dosis à gr.  $\frac{1}{2}$  ad gr. xij. In corporibus difficulter motis vomitum plenumque excitat. 10. Elaterium seu cu-

*De I. classe hydragogorum.* 233

cumeris asinini succus ad solem inspissatus; valde acre est, & adeo viscosum, ut licet per 100 annos servetur, nihilominus tenax manet; laudatur à Sydenhamo tanquam ultima anchora in hydrope. Dosis est à gr.  $\frac{1}{2}$  ad gr. xij. vehementer purgat.

Hydragoga 1<sup>a</sup>. class. ex fossilibus de sumpta sunt. 1) Mercurius dulcis qui constat ex salis marini spiritu & mercurio concentrato, sive recondito: optimum est hydragogum si grosso modo exhibeat, à liquidis enim nostris non facilè solvitur; hinc intestinis inhærens ea vi acidi stimulat. Dosis est à gr. jv. ad 3ij. aquas violenter educit; si exhibeat tenuissimè attritus, salivationem excitat, si grossè contritus vulneri applicetur, optimè corrodit callos ad marginem natos. 2) Mercurius præcipitatus albus, cuius vis consistit in spiculis acidis, quæ non sunt recondita, sed aperta & nuda, undè si alcalinis infringantur, aut vi ignis separentur & expellantur, dulcis evadit. Dosis maxima est gr. j. & violenter purgat. 3) Mercurius præcipitatus ruber vehementer purgat. Dosis est à gr. 1 ad v. 4) Mercurius præcipitatus flavus, optimum est hydragogum, sed cum mo-

deramine exhibendum, alias enim salivationem excitat, dari itaque debet sub 4 legibus ante præscriptis, ut determinetur versus intestina & absque aliis medicamentis, quæ possint eundem in corporis habitum derivare, qualia sunt diaphoretica & opiata. Ulcera rodit & superfluitates consumit, etiam in callis pertinacissimis, ast non sine dolore. Paracelsus eum vocavit turbith minerale, quoniam lympham eodem modo expurgat ac turbith vegetabile, quod lympham ex intimis corporis podagrī articulis educere censetur. 5. Mercurius præcipitatus viridis. 6. Metallorum crystalli, ut 1°. Lapis infernalis sive vitriolum lunæ, à  $\frac{1}{6}$  gr. ad gr. vj. 2°. Vitriolum veneris: dos. gr. j. aquas violenter educit, huc referri potest scobs veneris, quæ laudatur à veteribus, & etiam modernis tanquam anchora sacra; hoc medicamento curatus est Carolus (*vide Forestum*) cum hydrope laboravit: dos. gr. vj. 3°. Vitriolum martis. 7. Vitriolum commune; dos. est à 5j ad scrup. iiiij.

Coroll. Hæc omnia medicamenta agunt acrimoniâ & non specificâ aliquâ virtute; hoc demonstrat 1°. Sa-

*De 1. classe hydragogorum.* 135

por omnium acerrimus. 2º. Ardor , quem faucibus inducunt. 3º. Vesiculae , quas omnia , jalappâ & mechoacannâ non exceptis , excitant. 4º. Dolor , quem vulneribus applicata creant. 5º. Analysis chemica , omnia enim soluta vel in aquâ vel in spiritu vini , quantum fieri potest , vires acerrimas membranis suis communicant , & quod intactum & indissolutum manet , vires planè nullas habet.

---

C A P U T I X.

*De secundâ hydragogorum classe*

**H**ujus class. Medicamenta sunt ea quæ sanguinem in liquidum serum solvunt , & solutum velocius movent , quo majori copiâ ad intestinales glandulas applicetur ; ut autem hæc fiant , necesse est ut medicamenta cum massâ sanguinis commisceantur , & ne quis putet hæc purgantia cum sanguine nunquam misceri , id triplici probabimus argumento . 1. Infusiones ex croco martis , sennâ & rhabarbaro , hominum & brutorum corporibus , nempè thoracis cavitati injectæ apud Anglos , Gallos , Italos post  $\frac{1}{2}$  horæ dejectiones per alvum produxere , ideoque non dubitan-

236 *De II. hydragogorum classe.*

dum quin venis receptæ fuerint. 2. Mercurius pedibus ad salivationem ex- citandam affrictus sæpenumerò diar- rhæam arcessit, non nisi diaphoreticis & opiatis compescendam. 3. Cujuslibet fluxus serosi per alvum curatio fælicissimè perficitur diaphoreticorum & opia- torum ope.. Medicamentum hujus classi. unum solummodò novimus , scilicet mercurius qui sive dulcis sive crudus si sumatur paucâ dosi & sàpè repetitâ & sub 4 istis legibus supra dictis , post duos tresvè dies sequetur fluxus alvi serofus.

---

C A P U T X.

*De tertia Hydragogorum classe.*

**A**D hanc classi. pertinent omnia 1<sup>a</sup>. classi. medicamenta, quæ tûm glan- dulas stimulant , & secretiones augent , tûm sanguinem solvunt , solutumque movent , sicut enim cantharides cuti externæ applicatæ vesicas excitant , si- mul & sanguinem ita solvunt ut mihi tûm sanguinis nonnunquam inducant , ita quòque omnia vesicantia & acria , qua- lia sunt ea quæ in primâ classe nu- merantur , intestinis internè applicata in

*De III. hydragogorum classe.* 237  
iisdem simul vesicas excitant, sanguinemque solvunt & eò derivant.

*Corollaria.*

1. Medicamenta hydragoga convenient in omnibus morbis, ubi abundat salivosa in sanguine lympha, tales sunt omnes illi morbi in quibus viscera prima debilia & infarcta sunt, undè partes alimentorum non ita attenuari possunt, ut vasa lactea introeant, & lymphæ admisceantur; tales quoque sunt morbi, in quibus cordis & arteriarum vis contractilis debilis est, undè sanguis nimis tenuis evadit; constat enim ex anatomicis quod quò fortior est vis cordis & arteriarum, eò crassior sit sanguis, & quò debilior, eò tenuior; sic rusticis multùm laborantibus, bajulatoribus & similibus sanguis valde compactus est, in delicatulis verò iisque omnibus, quibus viscera debilia sunt, ut leucophlegmaticis, phthisicis, scorbuticis, &c. planè aquosus est. 2. Convenient in omni humorum extravasatione, & stagnatione, ac proinde in omni tumore ædematofo & contusione. 3. Convenient in istis morbis, in quibus liquidorum subita solutio aut evacuatio requiritur, ideoque in fistu-

lis, scabie, omnibusque , hydropis spe-  
ciebus , apoplexiâ quæ sœpè à sero in  
cerebri cavitatibus extravasato oritur ,  
gonorrhœâ virulentâ & similibus. 4.  
Quoties hæc medicamenta propinanda  
sunt , dentur primâ vice dosi satis lar-  
gâ , aliâs enim cum caustica sint, valde  
stimulabunt , nihil verò evacuabunt ,  
undè diræ anxietates, & tormina ori-  
entur. 5. Nocent hydragoga in omni  
morbo inflammatorio , sive inflamma-  
tio sit in arteriis , sive in vasis lymphati-  
cis , ideoque in febribus omnibus ,  
nisi V.S. præcedat nocent. Hypochon-  
driacis quoque & hysterics nocent , ii  
etenim ab hydragogis adeò violenter  
sæpenumerò purgantur , ut indè in ani-  
mi deliquium incident. 6. Omnia hy-  
dragoga facile hypercatharsin indu-  
cunt. Hypercatharsis duplex est , nem-  
pè prima species fit per medicamenta  
nimis evacuantia, quum scilicet humo-  
rum velocitas & tenuitas per medica-  
menta adeò augentur , ut indè vasa ex-  
cretoria ultrà tonum suum distendan-  
tur , & paralytica fiunt , quo fit ut sele  
contrahere nequeant , sed aperta ma-  
neant , & consequenter humores majo-  
ri quam par est copiâ effluant ; hujus  
mali curatio optimè instituitur per af-

tringentia summa cum opiatibus & spirituosis. Spirituosa enim cuncta coagulant, ut docet Chemia; ergo austera & spirituosa semper sunt adhibenda. Secunda species hypercatharseos est spasmatica, qualem Hipp. describit ab helleboro oriundam, spasmi valde concutiunt, indeque humores expelluntur; hoc in casu convenienter acida mineralia unam cum opiatibus & calidis aromatibus.

---

## C A P U T X I.

*De Melanagogis.*

**V**Eteribus atra bilis duplex erat, neimpè 1<sup>a</sup>. Ex liene, & dicebatur humor melancholicus, fæx, crassamentum sanguinis; hujus materiam sanguinem melancholicum esse dicebant. 2<sup>a</sup>. Ex hepate, & vocabatur bilis hepatica exassata.

Ergo medicamenta melanagogica à veteribus dicebantur, 1. Quæ humorem atrabilarium purgant ex liene per intestina; hoc autem fieri posse antedictum est, simul & quā transit iste humor assignata via, ac proindè hoc in casu non errabant. 2. Quæ bilem he-

paticam educunt ; verum si serio atten-  
damus, videmus 1°. Quod plurima me-  
dicamenta purgantia sunt , quæ fæces  
atras reddunt , sic polypodium querci-  
num , quod pro principe melanagago-  
rum habetur , sequens naturam om-  
nium queruum , quarum proprietas  
est omnia ferè colore nigro tingere ,  
mucum intestinalem colore atro infi-  
cit ; hincque melanagogum dicitur : sic  
cassia , lapis Arimenus & lazuli habita  
fuere à veteribus pro melanagogis ,  
quia fæces nigerrimo colore tingunt ,  
ut & vitriola omnia. 2°. Quod ali-  
quando naturæ vi absque cathartico  
administrando per superiora & infe-  
riora rejiciatur materies nigra , quo in  
casu omne illud dici potest melanago-  
gum , quod hanc materiam blandè ex-  
pellit , vehementer enim non debet  
tractari , sed lenibus purgantibus. Ab-  
solutis omnibus purgantium classibus ,  
sequuntur corollaria de purgantibus in  
genere.

1. Totum corpus humanum depurari  
potest per alvum , licet contrarium af-  
ferat Helm. depurare vero est separare  
partes quasdam determinatae texturae  
& acrimoniæ , per quas differunt à re-  
liquo sanguine , quocum circulantur ;

istx

istae autem partes ut plurimū sunt minores partibus sanguineis, ac proinde si in liene, hepate, aliisque visceribus vasorum excretoriorum laxitate in minuere possumus, expulsiorum verò canarium augere, patet quod pecantes illae partes facilè separari possint. 2. Purgantia non sunt venenosa, ut asseruit Paracelsus, & Helm: probare voluit his argumentis, nempe 1°. Quia aucta dosi semper mortem arcessant. 2°. Quia theriaca quæ venenis resistit, conduceat ad purgantium vim tollendam; sed ad hæc respondemus quod non solummodo purgantia, sed etiam quæcumque maxime salubria nimia quantitate sumpta, mortifera sint, deinde quod theriaca sistat medicamenti vim purgatricem vi opii, quod continet; illud enim pro tempore sistit omnes motus contractiles solidorum, unde minor expulsio per secretoria vasa & excretoria. 3. Electiva nulla dantur purgantia, i.e. quæ billem, lympham, pituitam, reliquis intactis, expellunt; hoc ex historiâ purgantium satis patuit, cum enim de iis in specie dictum est, clare vidimus quod equaliter in omnia nostra liquida agant, sed movetur solum materia magis flu-

L

xilis , quæque facillimè deponi potest.  
 4. Vis purgantium falsò deducitur ab acido , vel ab alcali , vel à sulphure quodam inhærente , nam succus vegetabilium & spiritus nitri purgant , quibus tamen nil sulphurei inest , omne verò acre quod stimulare potest , est purgans.

---

## C A P U T X I I .

**P**er vomitoria intelligimus omnia medicamenta , quorum vi ventriculi contenta sursùm in os per gulam projiciuntur: vomitūs causa proxima & immediata est compressio ventriculi in contenta ; ista autem compressio oriri potest vel à contractione fibrarum ipsius ventriculi , vel à causâ externâ ventriculi latera valdè premente , vel denique ab utroque simul. Hinc tres sunt vomitūs species. 1<sup>a</sup>. Est ventriculi per superiora violenta evacuatio , ipsius ventriculi fibrarum contractione procurata & ad hanc speciem requiritur materiae expellendæ aptitudo ad expulsionem , i: e: fluxilitas. 2. Pylori accurata constrictio & superioris ori-

ficii apertura. 3. Ventriculi distentio ,  
eamque consequens contractio , quæ à  
fibris ventriculi simul agentibus pen-  
det. Talem vomitū speciem agnovere  
veteres, eamque quandòque reverà fieri  
(licet quidam Neotorici \* negent, qui  
volunt omnem vomitum oriri à con-  
vulsione musculorum abdominis ) vel  
indè constare potest, quod si corpus  
pleno ventriculo inflectatur, fiant pri-  
mo ructus, qui solummodo inde oriun-  
tur, quod superius ventriculi orificium  
aperiatur, non autem à convulsione  
musculorum abdominis & diaphragma-  
tis convulsione præcedente. Hinc vo-  
mitum excitare solent ; 1º. Quodlibet  
acre topicum ventriculo applicatum.  
2º. Omnis inflammatio ventriculi , ut  
in morbis malignis , variolis , venenis  
assumptis non quod ventriculus in sta-  
tu quietis , sive dum flaccidus est ad vo-  
mitum per inflammationem moveatur,  
sed tunc solummodo cum aliquid in-  
gestum sit. 3º. Scirrus ventriculo in-  
hærens. 4º. Repletio nimia & subita à  
quâcunque materiâ. 5º. Inordinatus  
motus spirituum animalium à re nau-  
seabundâ excitatus, hinc spasmi hypo-  
chondriaci & hysterici vomitum ciere  
solent. 6º. Ventriculi spasmus ab inusi-

\* C. D.  
Chirac. hu-  
ius opinio-  
nis author.

tato corporis motu , ut àvectione in rhedâ , navigatione , circumgyratione , &c , ortus . Spasmus ventriculi sympatheticus v : gr: in vulneribus capitatis , apoplexiâ ab extravasato liquido ortâ , in colicâ , nephritide , &c. qui spasmus à communicatione nervorum ventriculi cum nervis partium affectarum oritur ; hincque est quòd vomitus omnes ferè viscerum abdominis morbos comitetur .

2<sup>a</sup>. Vomitûs species est , quæ oritur à compressione laterum ventriculi per musculos abdominis , quandòque enim musculi abdominis ita convelluntur , ut omnia viscera in eo contenta valdè premantur , quapropter si tunc temporis superius ventriculi orificium aperiatur , necessariò fiet vomitus . In hâc vomitûs specie abdominis cavitas à propriis musculis , diaphragmate & peritonæo simul agentibus valdè coarctatur ; undè sanguis in toto abdomine plurimum comprimitur , hincque maximè secretiones fiunt in omnibus visceribus contentis ; aliquandò vasa sanguinea in hepate rumpuntur , undè dira symptomata , hinc quòque sanguis , ob compressionem seu resistantiam , quam in infimo ventre patitur , violen-

ter versus superiora actus hæmoptoën: aliquandò & apoplexiā parit: in hâc abdominis compressione si sphincteris ani tanta vis sit, ut superari nequeat, peristalticus intestinorum motus invertitur aliquandò & fit ileos; quòd si vis illa superetur, fit excretio simul per alvum, in quâ non solum intestinorum contenta excluduntur, verùm etiam liquores secreti ab omnibus abdominis visceribus profluentes. Hæc vomitus species plerumque sequitur speciem primam, si nimis diù continuata sit; stomachi enim nervis diù vellicatis, tandemque quòdque abdominis musculi vellicantur ob consensum per nervum paris octavi.

3<sup>a</sup>. Vomitūs species est, quæ à contractione fibrarum ventriculi & muscularum abdominis simul fit, qualis vomitus maximè violentus est.

Corollarium. Expurgandus est error iste medicorum ferè universalis, scilicet quòd actio vomitoriorum explicari non possit, nisi descriptis priùs ventriculi tunicis, hocque inculcant illi, qui vomitum ex solo ventriculi motu derivant, quod quām precarium & à vero alienum sit, patet non solum ex antedictis, verùm etiam ex eo quòd si

L iii

venenum aliquod initium paris nervorum intercostalis attigerit, statim sequatur vomitus; undè dubitare licet an non vomitoria illa, quæ non nisi post aliquot horas effectus suos produnt, prius agant in cerebrum, & deinde per consensum ventriculum turbent.

Causæ trium vomitū specierum communes sunt, 1<sup>o</sup>. Vellicantia fortiora, ut pluma in gulâ agitata. 2<sup>o</sup>. Omnia quæ spiritus animales perturbant, licet directè non agant in stomachum, ut motus insueti corporis. 3<sup>o</sup>. Ideæ nauseabundæ, 4<sup>o</sup>. Materies mobilis fluctuans in stomacho, quæ acris est & vellicat. 5<sup>o</sup>. Acre quodlibet stomacho ingestum in teneris. 6<sup>o</sup>. Omnia purgantia auctâ dosi sive teneris propinata. 7<sup>o</sup>. Acria sanguini admista, e: gr: infusio tabaci, in quâ si infantes ad scabiem sanandam (ad quam plurimum valet) laventur, vomunt; sic quoque infusio croci metallorum, hellebore, vitri antimonii, &c. in aquâ, vino, aut lacte si injiciantur, primò vertiginem, tūm titubationem, paulò post nauseam, ac tandem vomitum producunt. Si modo clysmatum injiciantur vomitoria, non succedunt nisi

in iis, quibus valvula Tulpiana laxa  
est, ut esse solet in hominibus debilibus.

*Medicamenta vomitoria ad 5 classes  
reduci possunt.*

1<sup>a</sup>. Continet omnia corpora nobis  
nota, quæ eâ copiâ ventriculum intrant,  
ut eundem nimis impleant, ejusque  
fibras omnes distendant, dorsales in  
contractionem cogant, quo fit ut py-  
lorus constringatur; undè brevi nau-  
sea & vomitus sequuntur: hinc ipsa  
aqua copiosè & subitò ingesta, vinum  
itidem, cerevisia, cibi qualescumque  
sunt vomitoria.

2<sup>a</sup>. Continet omnia corpora, quæ  
fauces, æsophagum, ventriculum, in-  
testina ita laxant & lubricant, ut indè  
stomachi contenta minimo motu facile  
versùs superiora ferantur, talia sunt  
omnia pinguia sèpè & magnâ copiâ  
assumpta, modò non sint acria, ut  
oleum, cerevisia dulcis, recens, tenax,  
mulsum, syrups, lixivìa, sapones, ce-  
revisia cum butyro.

3<sup>a</sup>. Continet applicationes mecha-  
nicas, quæ fauces irritando, fibras  
ventriculi & vicinarum partium in  
contractiones cident; demonstrat enim  
Willisius, fauces, pulmones, cor, mus-

L iij

culos intercostales , ventriculum , dia-  
phragma & mesenterium nervos ha-  
bere ab eâdem origine , hinc nervis  
faucium irritatis facilè omnes enumera-  
tæ partes convelluntur ; sic si digi-  
tus faucibus immitatur vel pluma , aut  
si lingua deprimatur , nausea statim  
excitatur & continuatur , sequitur vo-  
mitus.

4<sup>a</sup>. Continet omnia illa , quæ topi-  
cè agunt in stomachum ipsum , nim:  
irritando eodem ferè temporis momen-  
to , quo deglutita sunt , talia sunt , 1<sup>o</sup>.  
Gilla vitrioli Paracelsi , cuius si gr: j.  
sumatur , vomitum brevi arcessit . 2<sup>o</sup>.  
Viride æris , cuius dosis est à gr: ss. ad  
gr: ij. vix citius deglutitur , quâm ope-  
ratur . 3<sup>o</sup>. Tinctura nicotianæ ex fo-  
liis , scilicet nicotianæ vulgaris , pau-  
lulùm exsiccatis , ope spiritùs vini rec-  
tificati educitur tinctura , quæ ad 3*i*  
data statim vomitum excitat ; si aquâ  
diluatur , tâm pro lubitu sisti potest  
eius operatio , in consuetis masticato-  
ribus tale eis nihil efficit . 4<sup>o</sup>. Succus  
absynthii aut card: bened: recenter  
expressus : dosis ȝj ad ȝiii. 5<sup>o</sup>. Oxy-  
mel scilliticum : dos: ȝij ad iiij. 6<sup>o</sup>.  
Succus raphani rusticani recens ex-  
pressus , qui si non intra horam su-

matur, vires amittit. 7°. Semina raphani contusa; dosis ʒ ss. 8°. Atriplicis radix, item & succus recenter expressus; dosis scrup. j. 9°. Persicariæ flores: dosis ʒ j. 10°. Succus recens cydoniorum ad cochl: j. sumptus, qui præsens est vomitorium, licet vomitum à laxatis ventriculi fibris ortum sistat, 11°. Semina anethi: dosis ʒ ss. sed post se relinquunt nauseam diuturnam. 12°. Cyclaminis succus. Hæc remedia idem agunt in ventriculo ac penna in faucibus, irritant, nim: & convellant. Horum usus est in iis qui facile vomunt, qui ventriculos satis sensiles habent, quique in vomitum proni sunt & nauseabundi à solâ repletione; ex hiscè quoque eligi possunt conductentia in morbis acutis & lentis, inter ea enim habemus amara, acida, aromatica.

5. Continet omnia illa quæ sanguini communicata spasmos universales induunt, sed qui in ventriculo & intestinis se maximè exerunt. Quæ huc spectant remedia per horam & ultrà in sanguine hærent, antequam operantur, & sunt 1°. Helleborus albus & niger, quorum priorem ob spasmos, quos inducit violentos, præscribere non

audent medici, ad scrup: ss. enim datus violentissimè agit; niger ad 3j datur.  
2°. Folia ásari à numero V. ad X. sive in substantiâ, sive in infusione. 3°. Gu-ta Cambodia. 4°. Turbith gummosum.  
5°. Cataputia major, sive radix sive semen: dos: 3j. vehementissimè agit. Hæc omnia per acida mitigari ac ci-curari possunt, ut iis nulla vis maneat.  
6°. Mercurialia, ut turbith minerale, præcipitatum album, rubrum, viride.  
7°. Antimonialia, ut crocus, regulus, vitrum, &c. Hæc omnia oleo vitrioli digesta vim suam amittunt. Violenta hæc vomitoria, sanguini venoso im-mediatae injecta venenosa sunt & lethalia, ut Lowerus & Willisius ex injectio-ne tincturæ antimonii in canum venas probarunt; indè etenim primò canes titubarunt, & posteà totius corporis concussione agitati fuere, dein nauseâ fuere correpti, ut ex salivæ effluxu pa-tuit, tandemque evomuerunt, & non multò post obiere. Prætereà in Græciâ & Hellesponto conficitur venenum, quo inficiuntur gladii à quibus inflicta vulnera semper Lethalia sunt ob hor-rendos, quos inducunt spasmos; re-centiorum autem observatio & ebrio-rum confessio detexit venenum illud

*De vomitoriis.* 251  
esse succum hellebori in Græciâ & Hel-  
lesponto collecti.

*Corollaria Theoretica.*

Nondùm demonstratum est an purgantia fortiora & vomitoria spasmos excretorios producant ; quatenus ventriculo & intestinis immediatè applicantur ; an quatenus nervorum origini ? observatum autem est in vomitu omnes secretiones ut sudoris , salivæ , lacrymarum , alvi , &c. non minùs promoveri quàm ab animi pathematibus , aut corpore quodam nervorum originem mechanicè affidente . 2. Hinc patet vomitoria vehementiora agere in nervorum originem . 3. Hinc etiam apparet cur inter medicamenta venena sola eaque summa & vomitoria violenta spasmos producunt .

*Corollaria Præctica.*

1. Materia , quæ per vomitoria medicamenta educitur , est multiplex : nam educitur , 1o. Copiosa saliva . 2o. Mucus narium , undè patet mirabilis vomitoriorum effectus in iis , qui à lue venereâ muco tetrorimo infestantur . 3o. Liquor faucium & æsophagi , undè vomitoria optima sunt remedia ad suppurationes istarum partium de-

tergendas. 4°. Liquor gastricus. 5°. Liquor lienaris , hinc si lien occupetur materiâ aliquâ lentiori , incipiente malo , dum mobilis est materia , emetica valdè prosunt. Omenti liquor oleosus , qui , ut dicit Malpighius , in hunc usum colligitur , & conservatur in omento , ut bilem nempè , aliosque humores ex nimio corporis motu acrimoniam concipientes contemperet ; hic liquor si abundet , & bilem nimis tenacem reddit , facile vomitorio educitur. 7°. Liquor mesentericus. 8°. Liquor hepaticus , nullum enim est medicamentum quod in hepar certius agat , quam emeticum. 9°. Liquor pancreaticus. 10°. Intestinorum materia ex dictis liquoribus coagmentata.

2. Nullum promptius est remedium ( paracenthesi exceptâ ) in ascite sanabili ; nil enim adeò promptè extravasa abdominalis evacuat ; hinc veteres & recentiores semper coacti fuere tale violentum remedium adhibere , hincque optima remedia sunt quæ spasmos inducunt.

3. Nullum datur remedium melius ad apostemata pulmonum , pleuræ , mediastini , diaphragmatis , hepatis , omniumque viscerum abdominalium matutaria rumpenda.

4. Ad toilendas obstrunctiones totius corporis, præsertim si in infimo ventre sint, ad solvenda impacta & stagnantia, nec non ad augendam vim expellentem vomitoria valde conferunt.

5. In infinitis ergo morbis & chronicis & acutis profunduntur.

6. Vomitoria periculosisima sunt omnibus plethoricis (nam sæpenumerò apoplexiam & hæmoptoën producunt) omnibus phthisicis, diathesi hæmoptoicâ laborantibus, calculosis omnibus (mictus etenim cruentus inde sequitur, ob nimiam frictionem & attritum renum sive hepatis, sive vescicæ in calculum, undè lœduntur vasa) omnibus scirrho laborantibus hominibus, inflammatis, apoplectizantibus à copiâ sanguinis, omnibus corrupta viscera habentibus.

7. In plethoricis, & acutis morbis quoties vomitus excitandus est, præmitti debet venæ sectio.

8. Iis, quibus materia aliqua minus mobilis aliquâ in parte hæret, aut abscondita est in intimis viscerum pentalibus, si vomitus excitandus sit, antè vomitorium propinentur incidentia, lubricantia, laxantia, irritantia: hoc ritè observato per vomitum curari

possunt plurimi morbi incredibiliter.

9. Ventriculi contentis per primum aut secundum vomitionis actum expressis, opus semper est diluentibus, lubricantibus atque laxantibus, aliás doloris & anxietatis multūm excitatur.

10. Hypercatharsis in vomitu semper præcavenda est, à nullo enim medicamento faciliùs oritur quām à vomitoriis. Si autem aliquandò oriatur, sisti potest, 1°. Medicamentis antispasmodicis, scil: diluentibus, laxantibus & anodynīs, sive impetum fistentibus, ut aquā calidā haustā, succo glycyrrhizæ, opio, vinculis brachiis, cruribusque injectis. 2°. Aromaticis variis, ut sunt omnes confectiones alexipharmacæ, nempè diascordium, theriaca, philonia, mithridatium, hæc enim motum humorum à centro ad peripheriam determinant, cùm per vomitoria vasa peripheriæ constringuntur, undē humores versūs centrum moveri coguntur.

3°. Si hypercatharsis fit à laxatis vasis & flaccido ventriculo, austera & acida prosunt, ut miva cydoniorum sati largā, dosi ut ad lib: ss. sumpta, radix tormentillæ, bistortæ, cortex Peruvianus, mala aurantia, &c. 4°. Spiritus fermentati valdè prosunt, si

*De diureticis medicamentis.* 255  
satis largâ dosi dentur , ut ad 3v & si  
æger hiscè se assueverit , dosis adhuc  
augenda est.

---

## C A P U T X I I I .

*De diureticis medicamentis.*

**U**RINÆ excretio semper fit per urethram , in quam fluit ex vesicâ , ex ureteribus autem in vesicam stillat ; nullaque alia in vesicam datur via , quod patet 1° . Quia dysuriâ laborantes ob calculum ureteribus impactum nullam omnino in vesicâ urinam habere observantur. 2° . Quod si vivo animali aperto abdomine uterque ureter vinculo ligetur , vesica emulgeatur , & abdomen rursus consuatur , animal ex suppressione urinæ certissime morietur , ne quidem guttula ad vesicam proveniente. Quicquid in vesicam per ureteres ingreditur , id ex pelvi fluit , quæ nil aliud est quam ureterum expansio ; in pelvim venit ex ramis papillarum , qui ex infinitis canaliculis renalibus oriuntur , demonstrantibus Malpighio & Ruyschii ; omnes verò illi canales emissaria sunt exiguarum glandularum venarium ; quicquid verò urinosi in his hæret , id om-

ne ex arteriæ emulgentis ramis derivatur. Diuretica itaque sola sunt ( manente viâ extrâ corpus apertâ ) quæ copiam secernendi liquidi in hisce glandulis augent; hoc & modis fieri potest, & consequenter diuretica quintuplicia sunt, nempè, 1. Diuretica sunt quorum ope vasa arteriosa renalia & eorum lateralia laxantur, licet integra & intacta maneat sanguinis constitutio. Diureticum est, quicquid solvit sive diluit plus solito; sanguis solvi dicitur, quando partes ejus sphæricæ in minores rediguntur; sanguine autem ita constituto, secretio hæc facile augetur, laxatis vasis renalibus; immo hæc vasa semper aliis sunt laxiora, i.e. resistentiam minorem influenti liquido præbent, quam ulla alia in corpore vasa, quia hiant in patulam pelvim. 2. Diuretica sunt, 1º. Quæ sanguinem eundem manentem ad vasa eadem quoque manentia majori velocitate applicant. 2º. Quæ sanguinem dilutum & solutum ad vasa laxata & dilatata majori velocitate applicant. Sunt ergo illa secundi generis dupli nominis diuretica, illa tertii triplici nomine. 4. Diuretica sunt quæ determinant fluxum sanguinis ad renes magis quam ad alias corporis partes, nihil mutato in vasis

vel liquidis vel velocitate motū. 5.  
Diuretica sunt, quæ vasa in contractio-  
nes secretorias stimulant.

Ad has 5 Clases reduci possunt diu-  
retica; priusquam verò hoc fiat, con-  
sideranda est ipsa urina, hæcque con-  
stat, 1º. Ex potulentis, & hæc pars  
est aquosa. 2º. Ex partibus quibusdam  
chyli, hæcque cruda est. 3º. Ex urinâ  
sanguinis, hæcque cocta est. 4º. Ex  
partibus solidorum corporis attrito-  
rum, nec non fluidorum diuturnâ cir-  
culatione eosque solutorum, ut acria-  
fiant, hæcque ordinariò rubra, pauca,  
oleosa, acris, & terrestris est. 5º. Ex  
partibus morbosis, hæcque crassa &  
varia omnimodè secernitur. Pro variâ  
hâc urinâ variari debent diuretica.

Sequuntur jam diureticorum classes,  
quarum 1º. Continet omnia decocta,  
emulsiones, olea, quæ ex vegetabili-  
bus & animalibus sub titulo laxantium  
& emollientium suprà recensita sunt  
e: gr: parietaria, malva, mercurialis,  
oleum olivarum, nucum juglandum, te-  
rebinthina, &c. Verùm cum regimine  
hæc administranda sunt, ut ad renes de-  
terminentur, ideòque 1º. Hauriri de-  
bent vacuo ventriculo, aëre frigido,  
motu leni insequenti. 2º. Injicienda

sunt clysmatum formâ, ut partes illas  
foveant & emolliant, hæc ita adminis-  
trata quandòque ,aliis remediis frustrâ  
tentatis , mirificè prosunt. 3°. Appli-  
centur etiam formâ balnei & fomen-  
ti renibus , experientia enim docet ho-  
mines balneis pectori tenus inditos co-  
piosam urinam reddere. Usus hujus  
clastis diureticorum tantus est , ut iis  
primus detur locus ; si enim adsit ob-  
structio , hæc illam non augent , ut sti-  
mulantia , sed vasa lavando eam tol-  
lunt. Ad hanc classem spectant quæ  
acre spasmos excitans corrigunt , aut  
expellunt , qualecumque illud acre sit ,  
sic infantibus urinæ suppressione ab  
acescente lacte affectis , terrestria &  
alcalia fixa & volatilia plurimum pro-  
sunt , sicut & hysterics.

2°. Continet ea omnia , quæ san-  
guinem solvunt , & diluunt ; diluens  
unum tantum novimus , aquam nimi-  
rūm , reliqua enim quatenus diluunt ,  
id faciunt vi aquæ admixtæ. Solventia  
verò duplia sunt , vel quæ liquido  
sanguineo ingesta ejus moleculas dis-  
olvunt & dividunt se interponendo ,  
vel quæ motum majorem excitando  
attritum augent vasorum , sicque san-  
guinis comminutionem promovent ,

ideòque sunt sive salina fidentia sive  
stimulantia. Ad hanc itaque classem spec-  
tant, 1º. Aquosa, ut sunt omnes aquæ  
minerales, serum lactis, lac ebutyra-  
tum, infusiones theæ & caffé, cerevi-  
sia tenuis, quæ omnia huc referuntur  
quatenus aquam continent. 2º. Om-  
nia salina nobis nota, nullo excepto :  
ut 1) omnia salina alcalina fixa & vo-  
latilia, 2) omnes sales ammoniaci,  
qui ex spiritu acido volatili & sale al-  
calino volatili concreverunt. 3) Sales  
compositi fixi ex alcalino quoctunque  
fixo cum acido quoctunque (excepto  
vegetabili fermentato) parati, qui quod  
subtiliores & acriores, eò meliores.  
4) Saponacea ex alcalinis quoctunque  
cum oleo facta ; huc spectant omnes  
sales volatilesoleosi; talis est offa Helm:  
quæ à scrup. j ad 3 ss datur ex salis urinæ  
probè ab oleo suo depurati 3.ad-  
ditâ olei terebinthinæ 3 ss. Talis sal  
oleosus spatio unius diei obtinetur ad  
quem præparandum methodo Starkianâ  
integer mensis requiritur. Huc spectant  
spones fixi dicti, qualis conficitur ex  
sale tartari cum oleo olivarum, aut te-  
rebinthinæ diù cocto. 5º. Salina ani-  
malium, ut succi animalium salini,  
e: gr: succus ostreorum marinorum re-

260 *De diureticis medicamenis.*

cens, succus ex mystulis marinis & cancris expressus, millepedum succus qui borraginis saporem refert. 6°. Suc- ci vegetabiles earum plantarum, ex quibus parùm olei & multùm salis es- sentialis educit chemia, ut opii, quod èâ de causâ inter diuretica numeratur, ita & petroselini, acetosæ, fumariæ, chærefolii, eringii, quorum alia ad tar- tarum, alia ad nitrum magis accedunt salium respectu.

3<sup>a</sup>. Continet quatuor diversa medi- camentorum genera, qualia sunt 1°. Omnia acria stimulantia vasa, & im- primis renalia, inter quæ præcipuum locum obtinent infecta nonnulla, ut apes, cicadæ, formicæ, cantharides, millepedes, quæ sanguinem pariter sol- vunt, ejusque motum accelerant, & febrem quasi artificialem excitant. 2°. Omnia salina, quæ sanguinem solvunt, simul & velocitatem ejus augent, ma- ximè huc pertinent unum & alterum salis genus, quale novimus ex succino & vegetabilibus expulsum, & sal suc- cini, qui est species salis volatilis acidi rectificati, & præcellit omnibus aliis si detur ad scrup. j. cum regimine. 3°. Omnes sales alcalini fixi & volatiles sine discrimine. 4°. Calor & motus

*De diureticis medicamentis.* 261  
corporis moderatus absque sudore.

4<sup>a</sup>. Continet quasi specifica diuretica, qualia sunt aromatica quædam balsamica, i: e: sale subtili cum oleo involvente constantia, ut crocus, rhabararum, asparagus, cassia fistula, recens nux moschata, juniperus, tereb. balsama nativa omnia, &c. Hæc assumpta urinæ copiam augent, & ejus omnes qualitates ut colorem, odorem & saporem mutant, sic crocus & rhabararum dant flammeum colorem; Cassia in parvâ dosi sumpta viridem ei dat colorem, in majori fuscum, in mājori adhuc atrum. Asparagus dat urinæ fætorem, tereb: violaceum ei conciliat odorem: reliquis nostris liquidis tales mutationes nunquam accidunt, undē est quod diuretica hæc specifica nominemus.

5<sup>a</sup>. Continet ea, quorum effectus circâ renes & vesicam præcipue & magis sensibiliter se produnt, ut canthrides, à quibus assumptis fit calor in lumbis & urinæ stillicidium. Hùc referenda sunt insecta suprà memorata, uti & cerevisia in non assuetis ( lac recens aut vapescens stranguriam excitat ) tandem omnia diuretica acria solventia hùc pertinent.

*Corollaria practica.*

Quali describuntur tali ordine præscribi debent diuretica ad aquam cien-dam , i: e: semper à primâ classe incipiendum , & dein ad reliquias succes-sivè progrediendum. 2. In morbis acutis locus est tantummodò tribus harum classium , laxantibus nempè , diluenti-bus & acre temperantibus. 3. In chro-nicis si per renes materies morbosa sit pellenda, primò vasa laxanda sunt, dein solvendus , & diluendus sanguis ; tūm danda sunt accelerantia , postremò sti-mulantia. Hâc viâ plūs purgatur san-guis quam omni evacuatione per al-vum ; diuretica enim in ipsum sanguinem agunt , non verò purgantia , adeò-que per hæc medicamenta in violentis morbis , qui ad singula bene attendit, crisiñ salutarem sæpenumerò procura-re potest medicus absque notabili cor-poris perturbatione; præterea renes sunt optimum sanguinis depuratorium, quo-niam per eos transire possunt crassio-res sanguinis partes. 5°. Diversæ sunt urinæ interceptæ species , & quidem tot quot enumeratæ classes diuretico-rum , undè sequitur diversas esse quo-que deberi medendi methodos. Causæ

autem urinæ interceptæ sunt variæ,  
1º. Viarum urinariarum constrictio. 2º.  
Infarctio earundem à calculo , aut aliâ  
materiâ. 3º. Nimia earum siccitas , &  
liquidi defectus , qui vel ab acrimoniâ  
oritur , ut in acutis vel à nimia crassi-  
tie liquidorum , eorumque lentore ,  
ut in sedentariis , vel ex eo quod li-  
quida in alias partes nimis deriventur.  
4º. Partium renalium paralysis , quæ  
vix curatur.

---

## C A P U T X I V.

**S**udoriferum Græcis , hydroticum  
dictum , vocatur omne id , cuius  
vi mador sensibilis per cutim exhalat ;  
& consequenter quidquid per eam cu-  
tis partem , quæ fistulis sudori dica-  
tis donatur , liquida sensibiliter expel-  
lit. Hæ autem fistulæ demonstrantur  
esse emissaria glandularum subcutanea-  
rum sive minima vasa ex arteriis lym-  
phaticis exorta , sive ultimi earum fi-  
nes. Hinc patet quod sudoris materies  
derivatur à sanguine arterioso , non  
vero excrementitus sit humor ( ut vul-

gò putatur); sed succus omnino necessarius ad flexilitatem nostræ machinæ conservandam, ut enim corpus flexible maneat, plurima debent esse inter partes illud componentes interstitia pori vocata, ne autem pori isti concretione partium solidarum evanescerent undè corpus inflexible evaderet, Deus liquidum illud, Sanctorianum dictum, perpetuo per istos poros fluere ordinavit; hocque liquidum est sudoris matræ, estque pars maximè mobilis, subtilis & nervis amicissima, quamdiù in statu naturali est, nec magis educi è corpore debet quām ipse sanguis, nisi à naturâ alicujus morbi corrumpatur, & quidem sudor corpori in statu sano nunquām suboritur, verū simul ac corpori applicetur aliqua causa quæ aequilibrium inter fluida & vasa tollat, ita ut vis fluidorum vasorum resistentiam superet & aliqua functio nimis augeatur, appareat sudor. Sudor ergo semper indicat corpus ægrotare, & illud ægrotare perseverabit, donec causa sudorem excitans dimoveatur, ejusque corrigantur effectus. Sudoris ergo matræ quæ in naturali statu sub nomine perspirationis insensibilis exit, est valde blanda, & summoperè ab urinâ differt, sudor

sudor verò sensibilis si multum urgeatur ad urinæ naturam propè accedit, quandoque crassus, oleosus & fætidus est, imò sudor hic nonnunquam ferè sanguineus est, ut in bajulis nonnullis videre est, quorum sudor axillaris linamenta sanguinis ad instar aliquando inficit. Sudor æquè ac diuresis quinque modis promovetur, nempe 1º. Emissaria laxando, omnibus liquidis iisdem manentibus. 2º. Sanguinem diluendo & solvendo. Dilutus dicitur sanguis, cùm ejus pars subtilior & tenuior partem rubram excedit, solutusque dicitur cùm moleculæ rubræ resolvuntur in istas sex minores ex quibus constant. 3º. Applicando 1º. Sanguinem eundem manentem ad emissaria eadem quoque manentia majori velocitate. 2º. Sanguinem solutum & dilutum ad emissaria laxata acceleratâ velocitate, quo in casu ingens sudor. 3º. Determinando sanguinem ad extrema corporis, undè quicquid mutat cursum sanguinis ab interioribus versus exteriora derivando sudorem excitabit, ut animi pathemata. 4º. Excitando spasmos in villis ultimis glandularum subcutanearum.

Sudorifera variari debent pro naturâ

M

materiæ evacuandæ quæ varia est, nam sudor multiplex est, & fit 1°. Ex aquosa parte potulentorum. 2°. Ex crudo chylo, hinc omnibus debilibus eo tempore quo chylus misceri debet cum sanguine, sudor prorumpere solet ut in phthisicis, & nonnunquam in puerperis lactantibus observatur. 3°. Ex Sanguine cocto maximè in pinguibus, quibus in dies perspiratio insensibilis minuitur ob pinguedinem vasa obstipantem, sed iidem in dies plus sudant. 4°. Ex sanguine nimium dissoluto & valis nimium contritis fit sudor rubescens, pinguis, acer, terrestris & salinus, adeò ut ipsi cuti quasi infixus adhæreat. Tamenius industria plurimo sudore inquinata lixivio ex solo sale alcalino immersit, tūm liquidum ex iisdem comprimendo eduxit & destillavit, indeque salem urinæ destillatae similem sali habuit; sic quoque in equorum sudore deterso maxima copia salis volatilis invenitur: hic sudor plerumque erumpit, ubi sanguis violentius per vasa sua mouetur, hinc in iis qui multum defatigantur, observatur. 5°. Sudor est morbosus qui varius admodum, aliquando planè aquosus ut in puerperis & phthisicis, in quorum sudore vix odor, co-

lor aut sapor observantur, adeò ut videatur esse pars sanguinis dilutissima, aliquando viscosissimus est, flavidissimus, ruber, aliquando maximè fætet, ut sudor peste laborantium, qui ægros à morbis libertat.

Jam sequuntur sudoriferorum classes, quarum 1<sup>a</sup>. Continet ea omnia quæ vasa laxant, suntque vel interna vel externa. Interna laxantia sudorifera sunt omnia illa quæ in diureticis memorantur, exceptis quæ specificè renibus famulantur, aqua calida melle edulcorata sudorem copiosum excitat, sic in febribus ardentibus decoctum hordei aut simile quid, egregium est sudoriferum, quia vasa constricta relaxat. Huc pertinent spasmodum vasorum tollentia, sive demulcentia, & acrimoniā temperantia, uti opium, oculi cancrorum, terrestria absorbentia. Externa laxantia sunt 1<sup>o</sup>. Omnes frictiones. 2<sup>o</sup>. Omnes vapores tepidi, omnium autem maximè aquosi. Huc etiam pertinent balnea, verū illa corpus nimis premunt, undē sœpè animi deliquiunt; hoc quoque casu pertinent inunctiones per olea blanda, pinguedines, medullas, &c. quæ cutim mollem & laxam reddunt, licet per se su-

Mij

dorem potius sistant, ut patet ex athletis veterum, qui oleo ante certamen se inunxere, undē artus mobiles fuere redditi; sudor verò prohibitus erat; hūc tandem refertur corporis lotio per aquam saponaceam. Usus horum sudoriferorum est, 1. In omni morbo orto à maximo frigore, quod cutim externam & pulmones maximè lædit, eorum vasa rigida reddens, & fluida coagulans. In omni morbo ubi sordes, crustæ ulcerosæ, morbosæ, scabies, ulcera, elephantiasis, lepra cuti adhærent. 2. Ubi emissariorum spasmus adest, qui cognosci potest ex siccitate & duritie cutis. 4. Ubi cuncte ab acri externè impacto, hinc cum pestis sit de naturâ yeneni externè applicati, in illâ sudorifera hæc plurimum prosunt. 5. In acutissimis morbis ubi ad viscera interna sanguis vehementer vergit, ut in variolis in quibus Sydenh: meritò improbat sudoris provocationem per cardiaca & sudorifera interna; hæc verò classe sudoriferorum feliciter utuntur Medici, & dubitari potest an non sudoris provocatio his sudoriferis tentata plurimum valeret in morbis quibus cuncte inflammatoriis.

2. Continet sanguinem dissolven-

tia & diluentia quæ in classe diureticorum secundâ recensentur. Diluens summum est aqua cuius virtus augetur per calorem; hinc aqua calida summum est sudoriferum. Solventia nonnulla liquida immediatè solvunt, horumque unum tantum in acutis tutum est, nempe nitrum, ejusque præparata, alia disponunt vasa ut in liquidum agant, idemque dissolvant, sic acetum melle edulcoratum, & in aquâ dilutum optimum est sudoriferum in acutis e: gr: & acet: mellis, aa ad ʒj. macis parùm, diluantur in aquâ xij vel xv. detur æstro instar thee aut caffé & in lecto expectet sudorem; hoc Hippocraticum est remedium, acetum non coagulat sanguinem, nec ulla acida fermentata.

3<sup>a</sup>. Cum tertiatâ diureticorum convenit, exceptis solis quæ fluida ad renes determinant, ideo fervida assumpta, aromatica calida, opiata, & motus vehemens, hîc maximè sudorifera sunt.

4<sup>a</sup>. Continet ea quæ fluida versus externa determinant, ut 1<sup>o</sup>. Omnia quæ laxant externa. 2<sup>o</sup>. Quæ diluunt, solvunt, movent versus externa. 3<sup>o</sup>. Quæ pressionem aëris externam minuunt. 4<sup>o</sup>. Quæ vim cordis augent, sive ejus ictus quoad numerum & virtutem,

M iij

Hinc omnia cardiaca sunt sudorifera, ut vinum Rhenanum, succus citri recens, aromata penetrantia, fäles volatiles. 5°. Quæ externa stimulant, ut omnia acria cuti applicata, qualia sunt acetum, zingiber quod subtile & penetrantissimum est, multumque ab Helmlaudatur. His accenseri possunt quæ motum impeditum in internis, sic respirationem impeditam restituunt animi pathemata.

Quæ de specificis dicuntur sudoriferis, pro nugis sunt habenda; illa enim omnia tūm demūm sudorifera evadunt cùm corpus ad sudorem disponitur, aliàs nil præstant: sic licet theriaca ad ȝj sumatur, si corpus non sit ad sudorem dispositum, exsiccabit solummodo non verò ciebit sudorem, nec quidem ullum unquam medicamentum sudores specificè movet, quæque hoc præstare putantur, id agunt vel 10. Quatenus materiam dant ad sudorem; vel 2°. Quatenus sudoris impedimentum tollunt; vel 3°. Quatenus sanguinem ad corporis peripheriam determinant. Inter specifica ab antiquis censentur sigillata terra, folia scordii, Asclepiadis, lapis bezoar, pedro del porco, de Goa, qui ex lapide bezoar,

ambrā & tragacanthā constat ; Trochisci de viperis : testatur autem quidam se lapidem bezoar genuinum ad 3j. usque dedisse infanti bienni ad sudores satis disposito absque ullo tamen effectu , sic à Trochiscis viperarum ad 3iij. datis nullus commotus erat sudor eodem testante.

*Corollaria practica.*

1. Ex iis quæ de sudoriferis dicta sunt, colligimus , 1°. Quod variæ & planè oppositæ sint sudoris causæ ut tristitia & lætitia summa , metus & spes , aqua calida & frigida. 2°. Quod varii sint sudoris effectus & planè oppositi; quandoque enim sanguinem dissolvit, quandoque incrassat pro conditione objecti ex quo elicetur ; hinc de effectu sudoris nil dici potest universaliter. 3°. Quod ad sudorem eliciendum applicationes fiant variæ , aliquando enim corporis totius lotione , aliquando ejusdem calefactione, frictione , motu valido, aliquando variorum internorum administratione procuratur. 4°. Quod variæ sint sudoris eliciendæ necessitates , sic in anasarçā stimulandum est , tardum & herens expellendum : detur itaque quolibet mane & vesperi sequens

M iiij

præscript. &c. Theriac: ʒij spir: juniperi ʒiſſ. oxymel. squillit: ʒij diluantur in cereris cerevisiā meracā vel hydro-mel ʒ ix vel x. & disponatur corpus ad sudorem: idem fit cum successu in aliis chronicis, ut cachexiā virgineā: in leprā omne nutrimentum sistitur, hinc requiritur sudoris procuratio non autem per aromatica quae corpus intimè calefaciunt, sed ita ut externè omnia caleant, internè abluantur omnia, dentur ergo pillulæ ex sapone Veneto singularis horis ita ut uno die ʒij adhibeantur; post harum per tres dies usum potest æger decoctum aliquod antiscorbuticum, v: gr: ex guajaco, bibere, tūm tepidarium ingrediatur, quo sudores moveantur. Si resolvendum aliquod sit circā prima vasa, ut in morbis pectoris & acutis & causa mali ex alcalino sit, detur potus copiosus ex melle, acetato sive vino Rhenano & aquâ, & externè laxetur cutis; in medio sudore decoctum cum nitro dari potest: si causa mali sit ex acido, dentur alcalina, & sic semper administrentur ea quæ causæ morbi opposita sunt. 5. Quod variæ sint sudorem movendi opportunitates, sive occasionses, quibusdam enim temporibus multò promptius &

felicius succedit quam aliis, quorum cognitio omnino pendet ab observationibus Medicorum; sic in variolis à primo die usque ad octavum elicitur sudor, & hoc ad sudorem satis opportunitum videtur tempus & curari potest æger sudore continuo, cum hoc tamen regimine ut semper humores copiosè diluantur & laxentur vasa; exsiccantia enim calida minimè adhiberi debent, ut potè valde perniciosa. In morbis cunctis plurimi Medici cum vulgo sudorifera dari volunt, quia observant naturam 14 die semet per sudores sæpenumerò exonerare, indeque in pessimam istam praxim administrandi calida & exsiccantia incident, hæc que methodo plurimos interficiunt: quod si sudoriferis omnibus calidis allegatis, ea solummodo sudorifera administrarent quæ sanguinem diluunt & vasa laxant, ægri indè commodissimè sudarent, & crisis laudabilis 7 vel 14 die fieret; sic in sudore Anglico plurimi à sudore per interna diluentia & externa laxantia ad 24 horas continuato curabantur, cum è contrario ii omnes quibus diluentia interna non fuerant administrata, moriebantur.

2. Ex dictis patet 1°. Quod pro va-

M v

riâ morbi causâ varianda sint sudorifera, sic in morbis ex alcali, v: gr: juvenis tempore aestivo febre ardentissimâ corripitur, in quâ remedium velocissimum requiritur, hoc est, sudoriferum quidem; priusquam vero administretur indaganda est morbi causa, ponamus eum esse siccitatem nimiam & inflammationem, manifestum est requiri hîc diluentia simul & stimulantia propter virium defectum & obstructionem, quæ stimulum indicant; quo diluentia melius agant, detur ergo medicamentum liquidum, cuius basis sit acidum dissolvens & pro stimulo addatur vinum Rhen: largâ aquæ copiâ diluatur & addatur vis antiphlogistica, ope nitri e: gr: r: vin: Rhen: 3 viii. nitri 3 ij. succi limon. rec: express: 3 j. syrup. viol: q: s: vel ad 3 ij dilue cum aquæ communi 3 iv. m. sigulis horis capiat 3 ij calidè cum determinatione ad sudorem; si leviter tantum sudet, plus vini addatur, si nimis, plus aquæ. Si causa morbi sit acidum, loco vini Rhen: aliis sumendus est liquor, ut sal volatile oleosum, si causa sit tenax, addantur salia solventia. 2°. Quod pro variâ morbi naturâ varianda sint sudorifera; natura morbi pendet a) à materia pec-

cante b ) ex causâ efficiente , sive applicante i: e: vi vitali, si materia sit tenax, dentur valida solventia ut alcalina, si sit de naturâ luis venereæ, optimum medicamentum est mercur: ad sudores determinatus. 3°. Quòd pro diversâ morbi naturâ seu sede variari debent sudorifera , sic in initio variolarum sudoriferum inflammationi resistens requiritur, die autem 14 ut plurimum requiruntur saponacea , & decocta aromaticâ siccantia. Sudoriferorum vis maxima consistit in resolutione quoad liquida & deobstructione quoâd vasa.

Resolvuntur autem liquida vel diluendo vel dividendo , ubicunque ergo solvendum , ibi sudorifera requiruntur. Vis deobstruens sudoriferorum in eo consistit quòd vel laxant vasa vel contenta dissolvunt. Sudoriferis in se consideratis magna inest vis coagulandi , obstruendi , undè quod remanet , crassum , coagulatum & nonnunquam lapidis instar durum evadit , nullâ postea parte resolvendum , hincque est quòd nulli morbi inflammatorii magis in granam abeant , quam ei qui à violento exercitio oriuntur. Dum sudorifera incrassant , simul obstruunt , dumque liquidum consumunt , vasa sese contra

Mvj

hunc & coarctantur, eorumque fibræ  
rigescunt. Omnia ferè medicamenta  
possunt in sudorifera converti, sic si  
purgans administretur & homo statim  
disponatur ad sudorem, orietur pul-  
cherrima sudoris expulsio, & quò for-  
tiùs fuerit purgans, eò copiosor erit  
sudor; in morbis chronicis artis arca-  
num est sudoriferis purgantia addere,  
ut troch: alhandal. Par ratio quò-  
que est emeticorum & diureticorum,  
si ad cutim determinentur.

---

## C A P U T X V.

*De diaphoreticis.*

**D**iaphoretica sunt medicamenta  
quæ materiam morbosam sub spe-  
cie perspirabilis Sanctoriani è corpore  
amandant, sive potius omnia illa quæ  
perspirationem Sanctorianam augent.  
Horum itaque naturam ut melius in-  
telligamus, considerandum est quot mo-  
dis aut quibus à causis augetur perspi-  
ratio. Causæ itaque perspirationis aucta-  
ræ sunt, 1º. Vis viscerum aucta, quæ  
liquida nostra in minutias dirimit. 2º.  
Quæ liquida modo dicto soluta ad

partes externas determinant; per partes externas intelliguntur omnes illæ partes quæ ab aëre attingi possunt, ut sunt, cutis, pulmones, os. 3. Quæ externam cutim ita disponunt ut liquida in formâ insensibili, eaque promptè transmittat non verò crassiora & sensibilia, ad hoc autem cutis debet esse neque laxa nimis, neque nimis stricta. 4°. Ea quæ tria prædicta simul agunt; cuius generis cùm nulla nobis cognita sint medicamenta, hinc concludimus nulla dari diaphoretica propria i: e: quæ certò & indubitatò talem effectum assequantur; diaphoretica itaque pro tribus prioribus auctæ perspirationis causis in tres class. dividimus; quarum 1<sup>a</sup>. Continet ea quæ vim viscerum, i: e: vasorum elasticitatem augent, ea autem augentur quandò vasorum fibræ magis rigidæ & duræ evadunt, ad hanc itaque classem pertinent, 1<sup>o</sup>. Omnia quæ adstringunt, seu potius contrahunt solida, h: e: quæ sese intrà ultimarum partium interstitia insinuando ibique hærendo partes istas minus flexiles sive rigidiiores reddunt; talia sunt opium, cortex Peruvianus, radices omnes adstringentes, vinum austерum, &c. Cùm diaphoretica constringant,

non autem laxent, hinc constat quod omne illud quod excretiones sensibiles auget, diaphoresin minuat, quod planè congruit experimentis Sanctorianis.  
 2°. Corporis exercitia, ut ambulatio, equitatio, vectio in currui, &c. quorum ope experientia nos docet secretionem Sanctorianam promoveri. 3°. Stimulantia admodum lenia, vel fortia paululum enervata; sic colocynthis parvâ quantitate in vino infusa optimum evadit diaphoreticum, sic quoque mercur. sublimatus corrosivus ad gr 1 vel ij in ȝi vel iij rob: sambuci permistus & ad  $\frac{1}{2}$  grani exhibitus pro unâ dosi in morbis chronicis plurimum prodest; pari ratione omnia acria ita mitigari possunt ut diaphoretica fiant.

2°. Continet omnia illa quæ materiam perspirabilem ad cutim determinant, talia sunt 1°. Aër mediocriter calidus. 2°. Exercitia temperata. 3°. Circulatio liquidorum æqualis, quæ tum fit cum omnis corporis partes vel æqualiter quiescunt vel æqualiter moventur.

3°. Continet ea quæ cuti debitam temperiem conciliant ita ut nec nimis laxa sit, nec magis stricta quam par-

est, hoc ergò faciunt frictiones, lotiones, deterisiones.

---

## C A P U T   X V I .

**A**D uterina referuntur emmenagoa, ecbolica, & aristolochica sive quæ menses, contenta titeri, & lochia expellunt. Emmenagoa sunt quæ menstrui sanguinis secretionem & excretionem promovent. Secretio fit ex totâ sanguinis massâ in uterina vasa, excretio verò fit ex utero per vasa partim circa os ejus internum, partim infra illud, partim in vaginâ hærentia. Hæc derivatio in uterus & excretio indè fit quod vasa prædicta abundant sanguine repleta eò usque vi cordis diffunduntur, ut oscula arteriolarum tandem dilatentur, undè sequitur sanguinis eruptio, cessante verò vi cordis, & plethorâ levatâ fese rursùm contrahunt. Sanguinem uterinum à vi cordis premi indè constat quod si mulieri gravidæ abrupta sit placenta, fætu interim in utero manente tanta sequitur hæmorrhagia, ut eadem mulier pereat, quia nempè, sanguis à vi cordis urgetur, & uterus à fætu contento ita dis-

tenditur ut vasorum oscula sese contrahere nequeant. Idem quòque ex lochiorum fluxu colligi potest. Quòd si quaeratur cur non ex arteriis istis semper fiat sanguinis effluxus, sed statim solummodo temporibus considerandum est arteriarum fines esse quasi trifidos sive in tres ramos divisos, quorum medius abit in venam, laterales autem duo in cavitates hiant, unus scilicet in glandulam, alter in vasa lymphatica; primus ramus sanguinem crassorem transmittit, reliqui duo quia teneriores & exiliores, subtiliorem ejus partem: ponatur jam obstaculum in venis (ut à plethorâ) sive pressio major solito in arteriis, debent indè lateralia vasa eousque dilatari ut quæ antea non nisi lympham jam sanguinem rubrum admittant, quia sunt tenerioris structuræ & hiant in cavitates ubi nullum est obstaculum impetri resistens: secùs se res habet respectu rami medii, quām primum verò obstaculum illud in venis tollitur, sive pressio & vis cordis imminentur (quām scil: copia sanguinis operatus imminuta est) vasa illa lateralia se contrahunt denuò, & sanguis in venas abit. Hoc argumentum illustrari potest exemplo tunicae oculorum exte-

rioris corneæ quæ in statu naturali omnino albescit, solis ferè arteriarum lateralibus vasculis ad eam adeuntibus: quod si obstaculum aliquod ponatur in tractu ad venam, ut si illa comprimatur, aut si finis arteriæ obstruatur, aut contrahatur, ita ut sanguis ex arteriâ in venam promptè fluere nequeat v: gr: si arctè constringatur collum, vasa illa corneæ tunicae anteà inconspicua jam conspicua fient à pressione istâ, quia sanguis in venas fluere impeditus in lateralia urgetur, dempto vero obstaculo rubor evanescit. Par ratio est in uterini vasibus, ubi dantur vasa lymphatica, sive minimæ extremitates arteriarum in uteri cavitatem hiantes. Effluere vero hunc sanguinem ex vasibus lateralibus illis ( quæ in naturali suo statu non sanguinem sed humorem pro partium lubricatione recipiunt ) dilatatis patet ex lochiis, quæ sensim colorem suum sanguineum remittunt. Videndum jam est quænam sit causa primæ eruptionis mensum in juvenculâ, utque verbo uno expediam, nil aliud est quam plethora, hæcque inde oritur quod in virgine à nativitate usque ad pubertatem sanguinis vi viscerum conferti copia augeatur; augmentum enim tale est necessa-

rium omnino ad vasorum majorem distensionem , virginisque incrementum : postquam autem illa ad limites suo incremento præstitutos pervenerit , ita ut vasa dilatari & distendi non possunt , necesse est ut oriatur plethora ab isto sanguinis augmento , quod adhuc manet , nam nulla est ratio cur illud cesset , cum vis viscerum quâ conficitur , adeò non minuatur , & augeatur potius : sanguis itaque superfluis expelli debet per vasa minus resistentia , qualia sunt uterina , aliàs ægrotabit virgo . Si verò queratur unde fit quòd fluxus hi menstrui non viris cum fæminis sint communes ; ratio est quòd viri incrementi sui limites seriùs attingunt quam fæminæ , simùl ac verò ad istos pervenerunt etiam in iis excretio aliqua statim temporibus augetur ; ex observatis enim Sanctorii constat quòd singulis mensibus in viris contingat plethora , quæ sive largiori sudore , sive urinâ , sive aliâ excretione tollitur , simile quid mulieribus , quibus menstrua non fluunt , quandòque contingit , indèque sanæ conservantur . Notandum porrò omnes fæminas minori diaphoresi gaudere quam viros , quibus autem fæminis copiosa valde fit

diaphoresis , ut virginibus , iis non omnino , aut saltem parcè admodum , menstrua fluunt ; illæ verò quæ sunt laxo & frigido corporis habitu , vitamque otiosam degunt , menstrua ut plurimum copiosa habent .

Theorem: Quò sumus propiores origini nostræ , eò vis premens cordis magis prævalet resistentiæ omnium vasorum corporis simul ; patet hoc ex incremento animalium quæ majori proportione crescunt in teneris annis quam in ætate magis proiectâ . Hinc corpus illud cuius incrementi terminus propior est suæ origini , debet , cæteris paribus , habere vasa laxiora & molliora quam illud cuius incrementi terminus ab origine magis est remotus , cum itaque fæminæ citius ad acumen proveniunt quam viri , necesse est ut habeant vasa quoque magis explicabilia & mollia . Videndum porrò jam cur sanguinis superflui in mulieribus determinatio fiat ad uterum , constat quidem id indè fieri quoniam in muliere ad terminum sui incrementi appropinquante nullibi in vasis minor est resistentia quam in abdomen , indèque nullibi minor quam in pelvi , ibique nullibi minor quam in utero ; mulieres enim habent pro

ratione magnitudinis abdomen longè  
magis extensum & expansile quam vi-  
ri, in horum etenim pelvi continentur  
solummodo vesica & intestinum rectum,  
præter quæ in mulierum pelvi  
continetur quoque uterus; harum-  
que pelvis ordinario est capacior quam  
respectu contentorum esse requiritur;  
præterea cum vesica quolibet momen-  
to liquidum suum recipiat, & in-  
testinum rectum pariter suum, ute-  
rus autem nihil, patet in utero mini-  
mam esse resistantiam. Porro nulla  
pars est in corpore muliebri nota,  
in quam sanguis à tam diversis locis in-  
fluat ac in uterus; à tribus enim di-  
versis fontibus diversæ arteriarum ex-  
tremitates in unum hic loci coeunt. Ac-  
cedit huc quod toto tractu uterino ve-  
næ valvulis destituantur, nec supplea-  
tur iste valvularum defectus per com-  
pressionem muscularum sanguinem ve-  
nosum propellentem, nulla enim cor-  
poris pars est quæ muscularis pauciori-  
bus circumpositis donatur: omnis er-  
go sanguis in venis contentus resistit  
sanguini ex arteriâ advenienti, atque  
indè simul ac copiâ paulò majori adest,  
versus loca minus resistantia urgetur.  
Tria jam cognoscimus causarum gene-

ra quibus sanguinis menstrui in muliere sanâ excretio debetur, nempe 1<sup>o</sup>. Plethora. 2<sup>o</sup>. Sanguinis superflui determinationem ad uterum, ut potè partem minus resistentem. 3<sup>o</sup>. Vasorum uterinorum ad excretionem aptitudinem; medicamenta itaque emmenagogâ ad 3 classes reduci possunt quorum 1<sup>a</sup>. continet ea quæ plethoram inducunt. 2<sup>a</sup>. Ea quæ ad uterus determinant. 3<sup>a</sup>. Topica uterina aperientia. Mulierem ergò menstruis suppressis laborantem curaturo, primò inquirendum est an materia secernenda adsit sive an detur sanguis superfluitas, si enim haec non adsit, medicamenta 2<sup>a</sup>. ac 3<sup>a</sup>, classis plus damni quam commodi afferunt. Plethora inducitur, 1<sup>o</sup>. Omni medicamento quod facit ut ex cibo & potu vi primorum miscerum plus chyli in venas recipiatur, quam requiritur ad incrementum sive nutritiōnem corporis & ad jacturam resarcendam. 2<sup>o</sup>. Omni medicamento quod visceras secunda sive sanguifera sive hæmoptoica adeò afficit & roborat, ut chylum in bonum sanguinem vertant. 3<sup>o</sup>. Remotione causarum attenuantium & difflantium sanguinem confectum. Tria itaque habemus diversa medicamento.

rum genera sub primâ classe emmenagogorum, scilicet plethoram inducentium, comprehensa. Horum generum,  
 1. Continet ea quæ vim viscerum primorum sive chylificationi dicatorum augent, quibus etiam annumeranda sunt, 1º. Quæ feces inertes solvunt.  
 2º. Quæ solutas stimulo expurgant. Quippe notum est cavitates intestinorum muco quodam à glandulis ibidem secreto, oblini semper, qui si spissescat & adhæreat, vascula minima obstruit, sicque chyli in vasa lactea transitum impedit, unde oritur inanitio sive atrophia plethoræ contraria; itaque si talis mucus adsit, ut plethora inducatur, debet iste, 1º. solvi, 2º. expelli, quapropter de iis quæ mucum fistum solvunt & expellunt prius agemus, dein de iis quæ primorum viscerum vim augent. Quæ mucum dictum solvunt, sunt 1º. omnia gummi fætida aromatica, uterina dicta, quæ ob viscositatem suam adhærent & miscent se pituitæ ob vires saponaceas, & eam solvunt, simulque stimulant, ac ejus propulsioneum promovent; hinc gummi ammoniacum, affa fætida, bdellium, galbanum, myrrha, sagapenum, opopanax ab omnibus uterina dicta sunt: hæc enim

ingesta facile calore corporis nostri solvuntur, dumque hærent soluta, eorum acre exhalat, viscera stimulat, & dertigit lenissime, non ergo agunt vi aliqua utero directe dicata, sed qualitate dissolvendi, nempè saponaceâ & aromaticâ nervis amicâ. Curaturus itaque mulierem, cui ex plethorâ defecitu menses sistuntur, sic præscribat *R*egum: ammon: galban: sagapen: myrrh: ad  $\frac{3}{4}$ j. olei stillat. Succin: rectificati q. s. fiant pillulæ: convenient ubi cunque chyli ingressus ob dictam causam impeditur, ut in hypochondriacis. Omnes sales fixi sive Tacheniani sive alcalini, qui hoc peculiare habent, quod citò præterlabuntur, undè pro tempore magnus est eorum effectus, sed brevi cessat. Huc pertinent sales fixi compositi, it: borax, ammoniacus, tartarus, vitriolum, sal polychræsus, sal regeneratus Sennerti, & hujus vel illius salis  $\frac{3}{4}$ j solvatur in aquæ rute  $\frac{3}{4}$ v. m. capiat ægra cochl. i. post pil: sic se mutuò juvabunt.  $\frac{3}{4}$ o. Omnes sales volatiles alcalini, ut sales volatiles oleosi, spirit: C: C: urinæ, sanguinis. Omnes spones qualescunque fuerint, ad gummi enim naturam accedunt, hincque est quod sapo ad ab-

ortum , & menstrua procuranda adeò decantetur, & sapon: Venet: 3 jv. bulb: recent : ari 3 j assæ fastidæ 3 ss. m. f. pillulæ sing: gr: iij. sumat singulis bishoriis unam ; hæc sunt primarum viarum detersiva , sequuntur jam quæ mucum solutum expellunt : talia sunt aloe , rhabarbarum , colocynthis , jalappa , sagapenum , opopanax & imprimis bronia alba ; hisce Medicis nomen uterinorum dedere ab effectu , quoniam solvunt simul & expellunt aloës opt: 3 j. resin: jalap: gr: xv. colocynth: gr: v. ( pro stimulo ) fiant pil. sing: gr: iij. deaurentur: capiat ex iis sub aurora ubi adsunt signa solutæ pituitæ & dormiat per horam unam vel alteram. Videndum jam est quænam visceribus primis majorem vim conciliant , ita ut bonum chylum conficiant & in vasa lactea propellant. Vim primorum viscerum augent illorum vim contrac-tilem augendo , omnia quæ fibras magis rigidas reddunt ; talia sunt medicamenta astringentia , ut 1<sup>o</sup>. Chalybs , nil enim in hoc casu plus conducit , præfertim si sub eâ formâ detur ut sanguini non admisceatur , sed in solidâ agat , fibras corroborando; si enim sanguini permisceatur , fit summum coagu-lans

Ians & quidem hoc regimine optimè agit & fibras corroborat optimè, prout indè constat quòd ex eādem assump-  
tā statim mutetur color pallidus in ru-  
tilum, pulsus languidus in febrilem  
ferè; obtinet verò ejus usus cum rigi-  
ditas viscerum deest, & pituitæ co-  
pia adest; si acidum abunderet, suini de-  
bet in substantiâ sive limaturâ; si ve-  
rò mucus iners, & non acidus prædo-  
minetur, exhibeatur in vino Rhenano  
sive aceto, aliae præparationes sunt me-  
ræ nugæ. 2. Præterea hūc pertinet cor-  
tex Peruv: quācunque formâ datus,  
qui locum à chalybe proximum obti-  
net. 3. Hūc facit Rheum tam Ponticum  
quàm Barbarum. 4. Tamariscus & im-  
primis ejus radicis cortex. 5. Cappa-  
ris, indèque composita. Hinc patet  
summa astringentia evadere posse em-  
menagoga.

Sequuntur exempla pro formulis. Ubi  
acidum prædominatur (quod cognosci  
potest ex appetitu rerum incongruarum  
& insolitarum, ructibus acidis, tormi-  
nibus cum frigoris sensu, ructibus ni-  
dorosis post sumptum acetum, & li-  
mat: ferri in mortario vitro diù triti  
3ij Extract: Rhei 3j Cortic: Peruv. 3 ff.  
f. pil: sing: gr, v, capiat unam omni

N

bihorio. Quod si acidum non abundet ; chalybs in substantia datus plerumque angores , vomitus , diarrhaes, tormina excitat, tum enim non dissolvitur, sed stimulando solummodo agit, hoc itaque in casu re vin: Rhen: Pint: ij. chalyb: contrit: 3j cort: Peruv: 3j leni tempo- re macerentur per 24 horas, vacuo sto- macho ter de die , unâ horâ antè pa- tum sumatur 3j ss. 6°. Huc pertinente calida illa aromatica stimulantia quæ inter destillandum plurimum olei acer- rimi præbent, ut arbor vitae , sabina , ruta imprimis montana , rosmarinus , pulegium , majorana , matricaria.

Secundum genus medicamentorum plethoram inducentium continet ea quæ vim hæmoptoicam in corde & va- sis sanguiferis augent. Vis hæc non alia est quam vasorum vis oscillatoria , hæc que augetur iisdem medicamentis, qui- bus vasis primi generis sive chylifica- tioni inservientibus prospectum fuerat; omnia ergo quæ chylificationem pro- movent , sanguificationi promovendæ sufficiunt , impossibile enim est primas vias emendari , quin simul emendentur secundæ , nec emendari possunt secun- dæ, primis non emendatis. Huc accedit motus corporis in aere libero.

Tertium genus medicamentorum plethoram inducentium continet ea quæ sanguinis confecti nimiam consumptiōnem & difflationem impediunt, vitanda itaque sunt omnia illa quæ sudores aut nimiam perspirationem producunt.

2<sup>a</sup>. Emmenag: class: ea, quæ sanguinem plethoricum ad uterus determinant, continet, & talia sunt omnia quæ resistantiam in vasis uterinis minuant, simul & in aliis augent. Resistentia vasorum uterinorum minuitur dupli modo, 1<sup>o</sup>. Vasa ista laxando. 2<sup>o</sup>. Refluxum sanguinis à venis inferioribus versùs cor accelerando; medicamenta, itaque hujus 2<sup>o</sup>. class: in in duo genera dividemus. Primum continet ea quæ vasa uterina laxant, qualia sunt 1<sup>o</sup>. Omnia balnea tepida ad umbiculum usque applicata, hâcque enim ratione partium inferiorum vasa laxantur, dum superiorum vasa per aëris frigus constringuntur, præsertim si corpus superius in aëre frigidiusculo collocetur. 2<sup>o</sup>. Calor quilibet externus partibus inferioribus applicatus. 3<sup>o</sup>. Unguenta, quæ constant ex pinguibus aromaticis, oleosis & salinis ut martiatum, nervinum, arthriticum, &c. hæc pedibus, cruribus, inguini illita plus

N ij

rimūm prosunt. Hūc pertinent emplas-  
tra laxantia & calefacentia, imprimis  
ex gummi fætidis parata, quæ vasa  
laxant, simul & humorem perspirabi-  
lem coercent, undè sequitur major ca-  
lor specie balnei perpetui. Hūc quoque  
spectant plantæ uterinæ, inter quas  
præstant ruta, sabina, juniperus, ar-  
bor vitæ, majorana, pulegium, ex qui-  
bus balnea, cataplasmata, unguenta  
& emplastra fieri possunt.

Secundum continet ea quæ sanguinis  
refluxum à venis inferioribus versùs cor  
accelerant, ut 1º. Omnes frictiones ab  
imo pede usque ad inguina continua-  
tæ, calidis, siccisque linteis per semi-  
horam singulâ vice. 2º. Motus ambula-  
torius, musculi enim tibiales, crura-  
les, femorales frequenti actione suâ ve-  
nas suas plurimūm comprimunt & san-  
guinem superiora versùs pellunt. 3º. Sal-  
tationis motus; qui tanti est momenti,  
ut Hipp: dicit eum abortum procurare.  
Hæc omnia menstruorum effluxum pro-  
curant auferendo resistentiam in venis,  
eâ etenim sublatâ, sanguis majori copiâ  
fluit versùs eas partes, undè major fit  
pressio sanguinis in vasa lateralia, in-  
dèque sequitur ejusdem excretio.

3º. Em: class: continet ea quæ vasa

uterina ad excretionem disponunt, ut  
 1°. Vapores aquæ simplicis calidæ in-  
 feri oribus corporis partibus appli-  
 cati. 2°. Fots laxantes per spongos,  
 sive linteamina applicati inguini,  
 perinæo, vaginæ, hypogastrio; huc  
 etiam pertinent cataplasmata, em-  
 plastrum, pessaria, similiaque constantia  
 ex laxantibus, quorum materia ex su-  
 periori de laxantibus doctrinâ petatur.  
 3. Hic admodum commendatur vapor  
 ex quibusdam acribus, ut ex salibus al-  
 calinis urinosis in uterum receptus,  
 qui tamen periculo non caret, vehe-  
 menter enim irritat, summamque con-  
 tractionem fibrarum uterinarum exci-  
 tat; cum prudentiâ itaque vapor hujus-  
 modi debet applicari, sœpè enim steri-  
 lem reddit uterum & horrendas con-  
 tractiones spasmosque inducit, est enim  
 talis vapor acerrimus, uterum inflam-  
 mans, undè facilè gangræna, sive scir-  
 thus; utero autem violenter inflamma-  
 to, totum genus nervosum spasmodi-  
 cum fit; quapropter si talis vapor in  
 usum vocetur, summa adhiberi debet  
 cautio ne nimis acer sit; sufficiat ergo  
 vapor qui ex spiritu salis ammoniaci  
 pauxillo & multâ aquâ commixtis & te-  
 pefactis exhalat, nequaquam verò adhi-

N iiij

beatur vapor iste acerrimus, quem Empiricus quidam excitare solebat in hunc usum commiscendo urinam & calcem vivam, iisque ignem supponendo.

*Corollaria.*

1. Hinc patet aristolochica esse uterina 3<sup>ra</sup>. class: supponitur enim plethora h̄ic jam pr̄sens & determinatio ad uterum, aliās non est opus lochia movere. 2. Ecbolica sunt eadem, sed fortiora; quibus si adjungantur sternutatoria, fortissimē agunt. 3. Abortivæ sunt quæ uterum aperiunt, fætumque & placentam expellunt. Talia sunt 1°. Nimia sanguinis copia. 2°. Omnia determinantia fortiter ad uterum. 3°. Quæ violenter uterum constringunt; hūc referendus est vapor salis ammoniaci ute-ro gravidæ exceptus, quo non est potentius abortivum, tamen periculum ingens indè est, ut suprà dictum. 4°. Omnia ecbolica abortiva cautè adhibenda sunt, nam omnia sunt corpori noxia, & non solùm fætūs, sed etiam matris cum periculo propinantur.



TER TIA CLASSIS  
MEDICAMENTORUM,

*Quæ in solida & fluida simul  
agunt.*

C A P U T I.

*De aperientibus.*

**M**edicamenta aperientia sunt, quæ meatus obstructos aperiunt; horum 3 classes sunt, quarum 1<sup>a</sup>. Continet ea quæ vasa laxant, de quibus anteà. 2<sup>a</sup>. Continet ea, quæ liquida attenuant, resolvunt ac diluunt, de quibus hactenùs. 3<sup>a</sup>. Continet quicquid postquam vasa laxata sunt & liquidum attenuatum, utraque in motum agit, & circulationem promovet. Ad aperiendum quippe vas aliquod obstructum, hæc tria necessariò requiruntur; primò ut vasa laxentur, dein ut materies impacta resolvatur aut saltem diluatur, postremò ut circulatione in isto vase moveatur. Hinc patet

N iiiij

quām temerariò afferunt nonnulli ap-  
rientia specifica dari , qualia esse dicunt  
scordium , marrubium album , spiritus  
salis ammoniaci .

---

## C A P U T I I .

*De discutientibus.*

**D**iscutientia sunt quæ liquidum vel  
in vasis vel extravasatum stagnans  
aut coagulatum dissipant , sine sensibi-  
li continui solutione in externis , hæc-  
que tot sunt quot sunt stagnationis aut  
extravasationis causæ . Stagnat in vasis  
liquidum , tumorque fit , 1° . A pletho-  
râ , tuncque tumor tuber appetet , ta-  
li in casu summè discutiens est liqui-  
di evacuatio , quod stagnans à tergo  
urget ; ergò V. S. tumores rubros tol-  
lit . 2° . Fit talis tumor ab inflammatio-  
ne , quo in casu verum discutiens est  
a ) Quicquid vasa laxat . b ) Quod vas  
laxatum variè movet , applicando nim:  
potentias motrices valdè contrahentes  
& dilatantes ; hoc igitur fit mittendo  
sanguinem & frictionibus externis . c )  
Quicquid vasa deplendo liquida revel-  
lit , resolvit , attenuat & diluit . 3° . Tu-  
mor oritur ex crassitie coacti sive coa-

gulati liquidi, hunc discutit aperiens solummodo. Liquida extravasata discutiuntur quandò in vasa sua rursùs adiunguntur; hoc autem fit 1. Vasa absorbentia liberando, quantum fieri potest, à liquidis distendentibus (hæc vasa absorbentia à Vieussens in plurimis visceribus per microscopia detecta sunt, & terminantur in venas, eodem modo ac vascula excretoria oriuntur ab arteriis; *vide System: nov: vasorum*) quod fit summâ sanguinis missione, vel hydragogorum usu, ubi V: S: non est permissa, quæ duo non debilitant in hoc casu, sed reficiunt potius & quidem hoc in casu plurimum prosunt, si modò simul adhiberi possunt. 2º. Omnibus aperientibus. 3º. Vi externâ premente sive siccante corpori applicatâ N: B: Discutientia contrà scirrhos nequaquam valent.



## C A P U T III.

*De emollientibus.*

**E**MOLLIENS EST OMNE illud quod partem corporis nostri induratam & in unam molem compactam in priorem statum liquidi contenti & solidi continentis reducit. Induratio in corpore nostro fit, 3 potissimum modis, nempe 1°. A nimirum liquidorum coctione & pressione, hanc etenim ratione partes fluidissimae exprimuntur & crassiores in molem compactiorem adiguntur; hinc vasa partim inanita brevissimo spatio in unum concrescunt, vel crassa stagnantia seu impacta cum suis concrescunt vasis. 2°. A coagulo, quod a propriâ liquidorum naturâ oritur; tale enim coagulum dari patet ab albumine ovi quod ab igne coagulatur, licet testa manet inclusum. 3°. A coagulo superinducto mistura alicujus corporis coagulantis.

Emollientia sunt vel interna vel externa. Interna sunt quæ usurpantur specie halitus, suffumigii injecti, deglutiti, talia sunt 1°. Aqua in vaporem soluta, quâ nil plus emollit, sed non

debet esse nimis fervens , tunc enim constringit , sed calida & tunc maximè emollit , ut patet in ossibus philosophicè calcinatis , quæ plus à vapore quam à coctione emolliuntur . 2° . Juscula ex omnibus animalium partibus , præsertim ex mesenterio & intestinis . 3° . Vitelli ovorum crudi , qui licet nullam habent acrezinem , tamen resinas & gummi solvunt . 4° . Decocta omnia ex farinaceis blandis imprimis frumentaceis , quæ expressa dant oleum blandissimum benignitate oleum amygdal: dulc: referens , ut secale , triticum , avena , hordeum , milium , pistachiæ , imprimis eorum farinæ & quoque semina quatuor frigida majora & minora . 5° . Decocta ex herbis mucosis farinosis , quæ insipida ferè sunt : tales herbae sunt omnes malvarum species , branca ursina , verbascum , parietaria , mercurialis , violaria , glycyrrhiza , papa- ver erraticum , saponaria , quæ omnes cognoscuntur ex lentore succi sui . 6° . Decocta ex similibus fructibus mucosis dulcibus , ut sunt ficus , sebesten , uva corinthiaca , passulæ majores . 7° . Succi plantatum non acres , ut mel , saccharum , cassia , manna . 8° . Olea expressa ferè insipida , ut amygd: dulc:

Nvj

coco , pistac: seminis papaveris albi ;  
hyosciami , olivarum , lini , nucum ju-  
gland: 90. Cremor lactis dulcis & bu-  
tyrum recens. Emollientia externa ea-  
dem sunt ; sed applicata formâ litûs ,  
unguenti , fotûs , balnei , vaporis , cata-  
plasmatis , emplastri , embrocationis.  
Litus sunt pingua , chylosa , medullofa  
compacta corpori illita , ut medulla os-  
fium &c. unguenta sunt litus crassiores  
constantes ex oleis quibusdam & pin-  
guedine. Fotus sunt decocta per corpora  
spongiosa corpori calidè applicata. Ca-  
taplasinata sunt ipsa emollientia aquâ  
cocta , & corpori applicata. Empla-  
strum est simile quid in majorem con-  
fistentiam redactum. Embrocha est stil-  
licidium instar pluvii in partes cadens.  
Horum omnium emollientium nullum  
plus præstat quam vapor calidus ani-  
malis recenter dissecti ; ut si brachium  
immittatur in corpus animalis recenter  
mactati , quod remedium nullibi plus  
in usum vocatur quam in Italiâ. Hæc  
omnia id boni habent quod et si ad in-  
durata applicentur , nunquam tamen  
nocent , cum aperientia , &c. sœpè au-  
geant inflammationem , scirrhosque &  
cancros generant.

## C A P U T I V.

*De astringentibus.*

**D**E his & de corroborantibus in historiâ solidorum actum est sub tit: *Contrahentium*, in historiâ fluidorum sub tit: *Condensantium*, *coagulantium* & *incrassantium*. Hic verò considerantur astringentia quatenus vim vasorum contractilem augent, simul & liquida inspissant, & talia sunt omnes fructus immaturi, hi enim fibras ac curtant, & liquida condensant. Indurantia sunt eadem cum astringentibus, ac proindè non necesse est ut de iis aliquid dicatur. De detergentibus, emundantibus & erodentibus aliquid dicendum. Detergentia sunt quæ corpori applicata alienum aliquid adhærens removere possunt absque corporis læsione, cui adhæret. Alienum corpus vocamus quod non potest unum corpus constituere cum eo, cui adhæret, ut est grumus sanguinis vulneris lateribus adhærens: debet autem propter tenacitatem adhætere, nam telum sive spina inhærens huc non spectat. Detergentis itaque medicamenti objectum

nullum est nisi tenax, idque necessariò est ex oleo indurato; alia enim indu-  
rata sive coagulata non adhærent proper-  
ter viscositatem & tenacitatem. Deter-  
gens ergò debet primò dividere illud  
tenax, deindè in talem statum reduce-  
re ut ab aquâ solvi & ablui possit;  
cum verò sit oleum, cum aquâ solâ ne-  
quaquam abluitur; idem verò si vi-  
tello ovi priùs fricitur, cum aquâ postea  
facile misceri potest & educi. Huc er-  
gò faciunt omnia saponacea & lixivia  
summè alcalina, hæc bina disponunt  
tenax admiscendum cum aquâ; sapo-  
nacea sunt omnia olea quæcunque sa-  
libus commista; hæc verò si internè  
applicentur, debent esse lenia, alias  
erodent; sunt autem duplia, 1º. Na-  
tiva, inter quæ primaria sunt, aloe,  
mel, manna, cassia, saccharum, lac  
omne blandum vegetabilium, ut lactu-  
cæ, cichorei, taraxaci, scorzonerae,  
& succus saponariæ. Huc pertinet ani-  
malium bilis, quæ in ulceribus glutinosis  
sordidis optima est, huc quoque  
spectat ovi vitellus qui optimus est,  
modo bilis pauxillo admisceatur. 2º.  
Artificialia, ut sapo Venetus niger,  
sal volatile oleosum, tartarus regene-  
ratus Sennerti, tinctura tartari ex sale

fixo cum spiritu vini. Elixiria cum salibus alcalinis & aquâ composita. Emundantia sunt quæ detergunt & abluunt simul per vehiculum aquosum : huc ergo referuntur omnia quæ vi propriâ eliquant id quod adhæret, idem per vehiculum aquosum diluunt & expellunt. Erodentia sunt, quæ non modò tenax adhærens, sed & etiam semi-corrupta vasorum ramenta usque ad carnem vivam resolvunt, debent autem carnem vivam intactam relinqueret, aliâs sunt caustica. Erodentia ergo sunt 1º. Omnia dolorem excitantia, quæ anteâ descripta sunt. 2º. Attenuantia, resolventia, putrefacientia. Si ulcerâ mali moris (quæ semper in pinguedine hærent, ibi enim facile serpunt & dicuntur phagedenica) sint curanda, in iis nihil proficere possimus, nisi liquida per interna valde moveantur & expellantur, & separatio fiat per corrodentia externa, inter quæ præcipua mercurialia præcipitata, superimposito emplastro calefaciente; sequenti die tollatur quod putrefactum est, & de novo applicetur mercur: usque dum omnia consumantur, quæ consuvi debent, i.e: donec glandulæ omnes infectæ auferantur. Si propter fæ-

torem indè ortum aliquis à mercur: usu abhorreat, adhiberi possunt spiritus urinosis volatiles cum cupro in iisdem soluto, hacque solutione quæ optima est, tangatur ulcus vel ejus loco sumatur elixir proprietatis cum sale tartar: preparatum & purâ aquâ.

## C A P U T . V.

*De calefacentibus.*

**C**alefaciens est quod corporis calorem auget, cuius operandi rationem ut melius percipianus, nonnulla de calore sunt præmittenda. Quicquid ex frigido fit calidum, ideo incalescit vel quia ignis ei actu applicatur, vel quia motus ei inducitur per attritum. Ad calorem vero per attritum producendum tria sunt necessaria, nempè 1º. Corporum contactus. 2º. Corporum motus. 3º. Corporum ad se invicem pressio. Hæc tria nisi concurrant, calor nequaquam producitur; contactus enim corporum absque motu & pressione sive attritu non facit calorem, attritus quoq[ue] levis, i: e: absque corporum versu se invicem pressione notabili nullum excitat calo-

rem , saltem sensibilem. Hinc sequitur  
1°. Quòd quò pluribus in punctis se  
mutuò tangant corpora attrita , sive ,  
quod idem est , quò ma'ores sunt eo  
rum superficies secundùm quas se mu  
tuò tangunt , eò cæteris paribus ma  
jor est calor per attritum excitatus. 2°.  
Quo violentior est corporum motus ,  
eo cæteris paribus major est calor. His  
ce tribus axiomatis ( talia enim esse  
quis facilè percipiet qui ad ea atten  
derit ) quartum addemus quod univer  
saliter experientiâ habemus confirma  
tum , nempè 3°. Quò corpus aliquod  
magis solidum est , eò cæteris paribus  
ex actuali ignis applicatione , vel alte  
rius corporis attritu magis incalescit.  
Corpora nostra calefieri possunt vel  
externè vel internè. Externè in cor  
poribus nostris excitatur calor , 1°. Ap  
plicatione ignis aut corporis alicujus  
calidi. 2°. Frictione & attritu. Inter  
nè calor excitari potest 1 ) à calore ex  
tero excitato 2 ) Partium solidarum  
ad se invicem attritu , it: & simili flu  
idorum ad se invicem attritu.

Partes solidæ ad se mutuò teri pos  
sunt in omnibus juncturis , cùm autem  
in iis præter partes ligatas & ligantes  
dantur quòque liquida lubricantia quæ

partes interjacent, hinc planè constat quòd quamdiù liquidum illud præstò est, calor non possit augeri ita ab attritu ut morbosus sit, quàm primùm verò illud deficit, tùm ab attritu solidarum partium nimis excitatur calor, ut in podagrâ, arthritide, scorbuto 3) A mutuâ solidorum & fluidorum in se invicem actione. Theor: 1. In corpore nostro, vasis & liquidis iisdem manentibus, si augeatur motûs projectileis velocitas, augebitur quòque calor per axiom: 2 & 3. hincque quicquid circulationis velocitatem auget, est calefaciens, ac proindè, 1<sup>a</sup>. class: calefacentium internorum continet omnia quæ vel solida stimulando, vel liquida movendo circulationem augent, qualia sunt omnia acria, scilicet spiritus vini quatenùs stimulat, est calefaciens. Coroll: 1. Si in corpore nostro, vasis & liquidis iisdem manentibus, calor augeatur, planè indicat hunc motum projectilem esse auctum. Theor: 2. In corpore nostro, vasis & motu projectilei iisdem manentibus, si liquidi densitas augeatur, augebitur quòque calor per axiom: 2. 3. 4. hinc 2<sup>a</sup>. class: calef: internorum continet ea quæ condensant fluida, hinc frigus calefacit

ed plus, quò plus agit, si modò non  
supprimat omnem motum; condensat  
enim liquida nostra, hinc post magnum  
frigus externum semper sequitur ma-  
jor calor internus, & observavit Hippo:  
ventres sive cavitates liquida conti-  
nentes calidiores esse hyeme quam aestate.  
Coroll: 2. Si vasis & motu pro-  
jectili iisdem manentibus, calor augea-  
tur, planè indicat liquidorum densi-  
tatem auctam esse, remedia sunt rare-  
facentia. Theor: 3. In corpore nostro  
liquidis & motu projectili iisdem ma-  
nentibus, si vasa coarctentur, augebi-  
tur calor per axiom: 1. undè 3. classis  
calef; continet 1°. Omnia quæ vasa  
comprimunt ut vestes arctæ, stragula  
densa, aër gravis, aqua frigida am-  
biens & frigus; ergo quicumque hæ-  
morrhagiis obnoxius est, haec, quan-  
tum fieri potest, evitare debet. 2°. Quæ  
vasa contrahunt, *vide contrahentia.*  
3°. Quæ externè vasa obstipant; mo-  
dò motum sanguinis non impedianter.  
Coroll. 3. Si liquidis & motu projec-  
tili iisdem manentibus, calor augeatur,  
vasa arctiora fiant necesse est; hinc val-  
dè imminutis liquidis calor tamen per-  
stare potest in nonnullis morbis, ut  
in tabidis, omnes enim hec tici ob ca-

lorem exsiccantur, undē fibræ eorum  
fiunt rigidissimæ & contractissimæ &  
ob marasimum plurima illorum vasa  
concidunt; quapropter in reliquis li-  
quidum, licet illud quoque imminu-  
tum sit, valdè coarctatur. Coroll: 4.  
Si velocitas liquidi ejusque moles si-  
mul augeantur, reliquis iisdem manen-  
tibus, erit calor in ratione compositâ  
utriusque, & generaliter si prædicto-  
rum duo quævis augeantur tertio eo-  
dem manente, crescat calor in ratio-  
ne compositâ duorum auctorum. Co-  
roll: 5. Si velocitas & moles liquidi,  
nec non arctatio vasorum simul au-  
geantur, sumimus oritur calor.

## C A P U T V I.

*De frigefacientibus.*

**F**rigus in corpore excitatur per cau-  
fas oppositas calefacientibus; ergo  
frigus externum fit, 1°. Applicatione  
corporum frigidorum, hæcque prout  
docet experientia, eò magis frigefac-  
iunt, quod solidiora sunt; sic aqua  
frigida plus frigefacit quam aëris frigi-  
dus, balnea ex aquâ simplici minus  
frigefaciunt quam ex aquâ salinâ qua-

sunt. Huc referenda sunt ventilabra & venti, quæ corpus frigefaciunt quantum atmosphæræ partem nos proximè ambientem removent, aliquam substituunt, nam atmosphæræ portio quæ corpus aliquod calidum proximè ambit, semper calidior est portionibus quæ magis sunt remotæ. 2. Omnia externorum in corpora nostra attritum tollendo. Frigus internum fit, 1°. A frigore externo. 2°. Tollendo, sive minuendo tritum partium internarum solidarum & fluidarum inter se; hinc corpori majus frigus conciliari non potest, (demptis causis externis) quam quod à morte fit.

Theor: 1. In corpore nostro, vasis & liquidis iisdem manentibus, si motus projectilis minuatur, minuetur quoque calor sive augebitur frigus per axiom: 2. Hinc 1<sup>a</sup>. class: frigefacientium continet ea quæ motum projectilem minuant, hic autem pendet à solidorum vi contractili, eaque à stimulo solidis applicato; quo enim hic major est, eo quoque major fit vis solidorum & è contrà: quicquid ergo stimulantium vires destruit, pro refrigerante habendum est; undè 1°. Omnia diluentia frigefaciunt, ut serum lactis, aqua,

hydrogala, quæ omnia calidè sumpta plus agunt penetrando & laxando. 2°. Obtundentia sive quæ acrem stimulum infringunt, qualia sunt omnia acida respectu alcalinorum, & alcalina respectu acidorum; hinc si calor ab acido fiat, ut sœpè in hypochondriacis, alcalia erunt refrigerantia, & si acre oleosum sit causa caloris, saponacea refrigerabunt; sic calx in aquâ soluta est refrigerans respectu alcalinorum oleorum (acida saponacea sunt succi fructuum horæorum recenter expressi) 3°. Involventia sunt quæ acria stimulantia involvunt; talia sunt omnia oleosa blanda vegetabilium, gelatinosa, farinacea, terrestria, pinguia; hinc ptisana optimè refrigerat. 4°. Expellentia sunt quæ stimulantia impacta excutiunt, & extrâ corpus derivant; hinc hoc in loco frigefacientia sunt ea quæ in se considerata calefaciunt, ut vomitoria, purgantia, diuretica, diaphoretica. Theor: 2. In corpore nostro, cæteris paribus, si vasa minus fiant elastica, orientur refrigeratio per axiom: 2. 3. hinc 2a. class. refrig: continet laxantia, indeque reddi potest ratio cur balnea refrigerant. Theor: 3. In corpore nostro, reliquis iisdem manentibus, si liquidi

densitas minuatur , minuetur quòque calor per axiom. 2. 3. 4. Densitas liquidi minuitur attenuando & diluendo. Hinc 3 . class. refrigerantium continet attenuantia & diluentia qualia , sunt omnia aquosa & nitrum quod maximè attenuat ; hincque ömnes plantæ nitrosæ sunt optimæ. Hinc patet cur in morbis inflammatoriis ubi sanguis est densissimus , attenuantia adeò laudantur. Theor: 4. In corpore nostro, reliquis omnibus iisdem manentibus, si vasa capaciora reddantur , minuetur calor per axiom: 3. Hinc 4<sup>a</sup> class: frig: continet omnia illa quæ vasorum capacitatem augeant , qualia sunt humectantia, laxantia, aperientia, deobstruentia. Hinc quòque patet cur tempestas tonitruosa , quæ aërem levem reddit ; frigore statim semper excipiatur ; hinc denique patet cur vestibus laxis induiti , aut sub stragulis levibus jacentes frigi simus, ut & cur homines vasa laxa habentes, ut mulieres & obesi , plerumque frigescant.



## C A P U T V I I .

*De attrahentibus.*

**A**TTRAHENTIA sunt quæ corpora alii  
qua in nostro corpore hærentia  
è loco , in quo hærent , in aliud trans-  
ponunt, ad hoc autem tria sunt neceſſa-  
ria , 1°. Ut materia meabilis sive ad  
motum apta reddatur. 2°. Requirun-  
tur causæ, quæ materiam meabilem red-  
ditam pellant in locum destinatum vel  
qua loco destinato applicatæ materiam  
ad eundem locum trahant. 3°. Requi-  
ritur ut via intermedia libera sit , quâ  
materia tracta sive impulsa ad locum  
destinatum absque impedimento per-  
venire potest. Hinc 3 sunt medica-  
mentorū attrahentium class. qua-  
rum 1<sup>a</sup>. continet omnia illa quæ ma-  
teriam reddunt meabilem , ut 1°. Om-  
nia quæ solida stimulant, de quibus hac-  
tenus. 2°. Omnia quæ materiam mo-  
bilem reddunt , motum & translatio-  
nem producunt , qualia sunt 1°. Om-  
nia quæ pellunt materiam è loco, undè  
erat movenda, in locum determinatum,  
ut (a) vis cordis & arteriarum (b)  
motus frictionis & compressionis in  
vasis

vasis, quibus non sunt valvulae; sic strictione tumores de loco in locum transferuntur. 2º. Omnia quae resistentiam minuunt in loco in quem movenda est materies, ut a) V: S: & arteriotome; sic per unam arteriam totam massam sanguinis evacuare possumus; scarificationes, fonticuli, setacea, fistulæ, omnia erodentia remedia huc faciunt, resistentiam tollendo. b) Fricatio, quae resistentiam tollit, quatenus promovet sanguinis motum per venas. c) Quæ aëris externi pressionem tollunt in loco, ut cucurbitæ, suæctio; hinc Hipp: in pleuritide voluit latae & amplas cucurbitas applicatas esse, quo omnis inflammatio in cutem derivetur. d) Emollientia & laxantia, de quibus anteà. 3º. Omnia attrahentia specifica, ut animalia venenosa quae corpori applicata vel viva vel mortua ad se trahere dicuntur suæ indolis venenum. Sic scorpio contritus, ut & bufo vivens aut mortuus admotus proprium elicit venenum; sic rabidi canis caro vulneri ab eodem inficto applicata, priusquam radices nimis profundas egerit, nonnullos sanat; sic *lapis de serpente* dicitur, si vulneri à bestiâ venenosâ applicetur, ibidem hærere usque dum

O

totum exhauserit venenum, tūm sponte suā decidere: dicitur etiam si lacti immittatur, iterūm depurari & virtutem suam recuperare. 3<sup>a</sup>. Clas: ea continet quæ viam medianam præparant, qualia sunt, 1<sup>o</sup>. Quæ vasa laxant. 2<sup>o</sup>. Quæ liquida meabilia reddunt. 3<sup>o</sup>. Quæ suppurationem procurando viam apertam reddunt.

---

## C A P U T V I I I .

*De repercutientibus.*

**R**Epercutionia sunt quæ materiam in corporis parte aliquā internā hærentem magis adhuc versus interiora pellunt. Horum actio eadem est cum attrahentium actione, mutatis solummodo terminis à quo & ad quem. 1<sup>a</sup>. Clas: repercutientium non differt à primā attrahentium. 2<sup>a</sup>. Clas: continet ( loco attrahentium quæ commodè applicari internè nequeunt ) evacuationes, ut purgationes per hydragoga, venæ sectionem, ptyalisimum, quæ agunt quatenus materiam revellunt ē loco. 3<sup>a</sup>. Clas: continet omnia actū frigida, fibræ enim à frigore constrictæ materiam versus interiora propell-

*De maturantibus, &c.* 315  
lunt, hinc aqua frigida, acetum fri-  
gidum conducunt, & quidem quo densius & compactius est corpus frigi-  
dum, eò melius. 2. Omnia stiptica,  
contrahentia & constipantia externè  
applicata.

---

## C A P U T I X.

*De maturantibus & suppurantibus.*

**S**uppurantia sunt quæ corporis vi-  
vi partem aliquam in pus conver-  
tunt (corporis vivi) quia nemo hac-  
tenus unquam liquida vel solida cada-  
veris in pus convertere potuit. Pus est  
materies spissa, uteunque pinguis,  
cum aquâ tamen miscibilis, coloris  
subalbidi, odoris & saporis nullius;  
modò laudabile sit. Nulla unquam sit  
suppuratio nisi fracta sint vase, ita ut  
liquidum effluat, à nemine enim pus  
unquam observatum est à vase aliquo  
rupto effluere statim ab ejus rupturâ;  
verum quod effluit liquidum post ali-  
quod temporis spatium, evadit pus sta-  
gnando, prout indè patet quod si vul-  
nus continuò abstergatur, pus in eo  
nequaquam reperiatur; liquidum ergo  
extravasatum stagnando in pus con-

O ij

vertitur caloris ope , pars quippè liquidissima exhalat , viscosior verò remanens pus constituit , quod quamdiù blandum sit , optimum est balsamum ; diutiùs verò cominorando per eundem calorem vertitur in liquidum tenuissimum flavum , cineritum , rubellum , tandemque nigrum , acre , erodens , nervis inimicum . Medicamentum ergò suppurans est quicquid vascula rumpit , liquidumque effundit , effusum cum solidis fractis miscet , dissipat quod maximè liquidum est , tandemque reliqua movet & coquit . Suppurans requiritur ubi materies impacta resolvi & extravasata resorberi nequit . Vitetur ergò suppuratio ubi materies peccans in pus converti nequit , ut in scirrho , cancro , exostosi : vitetur ergò in locis undè pus factum educi nequit , ut in partibus externis . Suppurantia omnia ad 3 class. possunt reduci , quarum 1<sup>a</sup>. Continet ea quæ vasa leniter stimulando dissolvunt , ut 1<sup>o</sup>. Gummoflora aromaticas partes mobiles habentia , ut gummi ammoniacum , bdellium , galbanum , myrrha , elemi , opopanax , sagapenum , tacamahaca . 2<sup>o</sup>. Cepæ asatae cum farinâ & oleo junctæ . 3<sup>o</sup>. Mel cum aliis mixtum . 4<sup>o</sup>. Laurus ,

camomelum, crocus, melilotus, sam-  
bucus. 2<sup>a</sup> Clas: continet ea quæ par-  
tes anteà stagnantes & alias sejunctas  
inter se jungit per vim vitæ supersti-  
tem; fit autem hoc ope attrahentium  
quæ mobiles liquidorum partes deter-  
minant ubi pus fieri debet; huc ita-  
que pertinent, 1<sup>o</sup>. Omnia aquosa ca-  
lida, quæ vasa laxant, undè major  
motus ad locum dictum. 2<sup>o</sup>. Humec-  
tantia sive aquosa, viscosa, ut anagal-  
lis, lens palustris, nymphæa, parie-  
taria, &c. quæ omnia aquosa glutino-  
sa continent. 3<sup>a</sup>. Clas: continet ea  
quæ liquida in locum determinatum  
mota coercendo impediunt ne per cor-  
poris calorem nimis dissipentur; huc  
itaque spectant omnia quæ poros ita  
occludunt, ut materia ibi retineatur,  
& moveatur interim, nec tamen ex-  
halari possit: hæc autem sunt emplas-  
tica, ut 1<sup>o</sup>. Gummi aromatica respec-  
tu partis glutinosæ & inertis, res-  
pectu verò partis acris & volatilis agunt  
stimulando. 2<sup>o</sup>. Mel coctione tenax  
redditum. 3<sup>o</sup>. Omnes farinæ ex fabis,  
pisis, ciceribus, lino, frumento. 4<sup>o</sup>.  
Ficus, præsertim si acrior pars leni  
igne expulsa sit. 5<sup>o</sup>. Cera. 6<sup>o</sup>. Vitelli  
ovorum. 7<sup>o</sup>. Butyra recentia. 8<sup>o</sup>. Pin-

O iij

guedines omnium animalium. 9°. Olea blanda expressa. 10°. Herbae emollientes dictæ.

### *Corollaria.*


1. Cùm tria sint ad suppurationem necessaria ; hinc patet quantus sit illorum error , qui medicamenta nonnulla absolute & inse considerata semper habent pro suppurantibus , cùm reverà talia non sint , nisi quatenùs cum aliis conjunctim applicentur. 2. Variæ suppurantium formulæ ordinari possunt & debent , prout materia suppuranda est magis minusvè mobilis , magis minusvè profunda sub cute , prout in parte est magis minusvè glandulosâ. Sic si sit inflammatio ingens suppuranda , omissis 1<sup>o</sup>. class. medicamentis , ea solummodo secundæ ac tertiae adhiberi debent ; si verò materia lenta sit , & vis vitæ debilis , tūm 1<sup>o</sup>. class. suppurantibus opus est. Sequuntur formulæ suppurantium in tribus classibus diversis. 1<sup>o</sup>. Ad inflammationem valdè calidam suppurandam : & acetosæ recent: m: 1v. butyr: recent: 3ij. farin: secul: q: s: ut lenissimo igne fiat cataplasma. Acetosa alcalinis resistit , farina secalis in calore omnium facil-

limè acescit : in inflammationibus autem valdè calidis liquida semper tendunt in alcalinam naturam : hæcce formula ideo optima est ad bубones in peste , additur tantum butyrum quia gravius emplastrum non est adhibendum ob gangrænæ metum. 2º. In frigido casu sive tumore frigido cum inertiâ vitæ & liquidi hærentis , & flor: cham: samb: melilot: ana: 3 ij. croci 3 fl. gum: galban: in vitell: ovi solut: 3j ole: cham: 3j farin: orob: q. s. ad cataplasma. Hæc methodus gummi solvendi optima est in casibus ubi aperiendum est. Hæc formula optima est ubi scirrhæ metus. 3 . Ad glandulas scirrhosas in pus convertendas ( si verò tumor lensus sit , ut in bubone venereo , aliâ opus est formulâ ) & mel. ad tenacitatem cocti. 3ij. Ficuum recent: contus: 3ij cepar: sub cineribus assat: 3iiij ole: lilior: alb: 4. s. fiat cataplasma. Hæc formula suppurationem absque magnâ inflammatione eleganter promovet. Maturantia sunt quæ supputanda ita solvunt , ut tota materies in locum unum coeat absque divisione aliquâ aut separatione per cellulas factâ , eo fine , ut emissario facto , omne sup-

O iiiij

puratum unâ vice expellatur. Cùm jam ea quæ suppuranda sunt, nil aliud sunt quâm solida semi-fracta, & liquida stagnantia, maturans aliud non est quâm suppurans diù adeò applicatum, ut indè omnia resoluta sint. Maturationem factam esse cognoscimus ex summâ partis mollitie & fluctuatione. Quod diutiùs materia suppuranda clausa manet, eò faciliùs coquitur, & quidem summoperè cavendum est ut omnes partes induratae circumquaque molles fiant, antequâm aperiatur cutis, eâ enim apertâ haud facile ad suppurationem duci potest quod prius non erat suppuratum.





## QUARTA CLASSIS MEDICAMENTORUM,

*Quæ in solida & fluida simul  
agunt.*

---

### C A P U T I.

*De topicis.*

**T**opicum est medicamentum locale quod singulari corporis parti medetur actione seu vi quâdam ei parti propriâ, & diætâ. 2°. Omne ergò topicum debet habere talem actionem sive vim quæ specificè emendet liquida & solida illius partis, cui dicatur. 3°. Illud fit quia suâ mole tendit ad eam partem, vel quia eò itura ita præparat, ut quandò eò delata sunt, topicè agant. Hinc topicum duplex est, vel quod suâ mole & substantiâ parti applicatur, ibique agit, vel quod præparat alia quæ ad partem mittuntur. Sic v: gr: cephalicum vocatur quod stomacho receptum & ad caput dela-

Q V

tum in idem operatur , vel quod sanguinem aliàs ineptum , ità præparat & disponit , ut capiti pro fit , & medeat ur. 4° . Quidquid ad partem aliquam vadit , vel eò tendit lege universalis circuli , vel aliam quandam per vim eò determinatur. 5° . Lege universalis circuli nullum dari potest topicum , nisi ei insint conditiones aliquæ mechanicae , ut motu universali magis in hunc quam alium locum abeat . Sic v. gr. si globulus unus ex mercurio & alter ex cerâ ex corde simul projiciantur , his tales insunt conditiones , ut prior versus superiora , posterior verò versus inferiora feratur , nam mercur. globulus , cum sit gravissimus & solidissimus , motum suum secundùm lineam rectam diù conservabit , indeque in caput fere tur. Cereus interim cum sit levissimus , motum suum sursùm & in linea recta citò amittet , & versus inferiora detru detur ; hujus veritas evinci potest ex doctrinâ projectionis liquidorum per fistulas ; patet ergo talia medicamenta dari posse , vide Boyl: *de medicinâ hydrostaticâ*. 6° . Determinatio ad locum fit medicamentis attrahentibus. 7° . Hæc specifica dicta quæ vel ipsi parti applicata , vel eò itura præparando

agunt, vel agunt laxando, vel stimulando, vel contrahendo, vel condensando, vel movendo, vel attenuando, &c. secundum doctrinam hactenus expositam de actione medicamentorum.  
8°. Ergo vis topicorum consistit in determinatione ad certum lacum 9°. Ideoque tota topicorum doctrina consistit in descriptione causarum determinantium. 10°. Topica omnia ab effectu dividuntur in calida & frigida.

---

## C A P U T I I.

**C**Ephalica sunt quae cerebrum peculiariter spectant, non autem alias capitatis partes. Cerebri functiones sunt duas, nempè spiritus secerne-re & eosdem distribuere; utque haec functiones recte procedant, requiritur vasorum adaptatio & liquidorum debita solutio, ideoque quidquid vasa adaptat & liquida debitè dissolvit, est cephalicum. Cephalica sunt duplia, nempè 1°. Calida quae tenui oleo, sale & spiritu abundant; omnia ergo attenuantia huc pertinent, imprimis quae simul odore & sapore grata sunt,

Ovj

324 *phthalmicis, odontalgicis;*  
ut abrotanum tenuifolium, betonica;  
chamædrys, calaminttha, origana om-  
nia, majorana, melissa, salvia, ro-  
marinus lavendula; huc quòque spec-  
tant infecta nonnulla, ut aselli, item  
castorei spiritus, ut & sal volatile oleo-  
sum, olea aromatica, &c. 2°. Frigida,  
quæ grato odore nares absque calore  
afficiunt, ut rosa, viola, lilia, lilia  
convallium, &c.

---

### C A P U T III.

*De ophthalmicis, odontalgicis, otalgi-  
cis & stomatidis.*

**O**Culi functio est videre, & quid-  
quid illam impedit, dicitur oca-  
li morbus, ut palpebrarum vitia à pa-  
ralysi aut tumore orta, quæ à morbis  
eiusdem nominis in aliis partibus non  
differunt; læsa cornea, sive inflamma-  
ta, eiusdem phlyctenæ, hydatides, co-  
lor ejus non naturalis, opacitas, exul-  
ceratio, cicatrix, corpus ei internè ac-  
crescens, quæ omnia non aliâ ratione  
consideranda sunt quam si aliam ali-  
quam partem infestant. Oculus porrò  
non videt qui in humoribus ejus ali-  
quid mali habet, ut suffusio, catarac-

ta, &c. ob nervi optici vitia ; ut cum lymphatica per tunicam retinam largissime (ut nuper demonstravit Ridleyus) dispersa tument ; his in casibus cum nil externè applicari possit, præcipuum medicamentum est mercur: ad salivationem excitandam datus, non quod specificè agat in oculum, sed universalis operatione in totum corpus. Oculus porro peccat immobilitate, peccat item si vascula resorbentia humorem aqueum reducere eundem non possint. In his omnibus omittendi sunt tituli specificorum, & inquirendum quid in solidis & fluidis hæret vitii, & medela ex generalibus indicationibus instituenda, hocque maximè inculcandum quia optimi Medici nondum specificorum titulum omittere possunt ; sed semper putant aliquid specificè requiri, cum reverè nulla sit differentia, v. gr. an hæreat inflammatio in oculo, an in manu. Ophthalmica itaque sunt quæ inflammations sanguineas, serosas & nervosas tollunt. In omnibus enim par est ratio. Odontalgicas sunt, quæ inflammations sanguineas arteriosas, inflammationem in vasibus lymphaticis, vel nervis tollunt, indeque dentium dolorem sedant ; hinc put-

gantia quandòque laxantia sunt odontalgica , ut & nonnunquam opata. Otalgica sunt quæ aurium dolores sedant , hæcque rursùs sunt omnia illa quæ tollunt inflanimationes istas triplices. Stomatica sunt quæ oris morbos curant , hique sunt communes cum aliis partibus , ergò medicamenta nihil ad hos specificè habent.

## C A P U T I V.

*De arteriacis.*

**A**rteriæ nomen veteres dedere laryngi,& vocarunt arteriaca, quæ morbos laryngis & branchiorum tollunt , in specie verò eorum asperitatem , qualis in tussi frequens est , originaturque à penuriâ sive defectu liquidi , quod ibidem secernitur ; undè fit , ut filamenta nervosa nuda & arida fiant. Medicamenta ergò arteriaca sunt quæ simile liquidum suppeditant , ut 1° . Omnia oleosa blanda lentè deglutita. 2° . Omnia quæ specie vaporis blandi in pectus cum aëre recipi possunt , ut decocta farinacea, emollientiaque: hinc conducunt emulsiones , linctus , syru-

pi, succi inspissati, imprimis ex amygd: dulcibus, seminibus papaveris albi, seminibus & frigidis majoribus & minoribus, nucibus, coco, juglandibus, avellanis recentissimis, pistachiis, ex quibus oleum educitur vel emulgendo vel exprimendo. 3<sup>o</sup>. Omnia arteriacorum princeps est opium, quod titillationis sensum tollendo tussim sedat, quam ablatâ, humores in arteriâ & bronchiis secreti in iisdem commorantur, eademque lubricantes acredinem tollunt. Arteriaca itaque sunt omnia illa, quae tussim compescunt.

---

## C A P U T V.

**P**ulmonum functio duplex est, scilicet respiratio & propulsio sanguinis in ventriculum cordis sinistrum, quæcunque duas has promovent functiones, thoracica dici solent, sed revera vix ulla dantur thoracica specifica propriæ dicta; ea enim omnia quæ thoracicorum nomine donantur, simili planè ritu agunt ac alia medicamenta, nempe attenuando, inspissando, si-

lando, &c. sic hyssopus, scordium, majorana, pulegium, sulphur, quæ thoracica appellantur, attenuando agunt, tuncque pro thoracicis habenda sunt, quandò sanguis venosus adeò viscidus est; ut per pulmones vix fluere possit; sic quoque pulmonaria optimum est remedium pulmonicum, cum sanguis nimis acer & velox demulceri & inspissari debet. Si autem quidquam pro thoracico vero haberi potest, aër ipse est illud quatenus vaporibus quibusdam imprægnatus in pulmones recipitur; sic 1º. Quandò lympha nimis tenuis & acris per lymphatica vasa nimis laxata in pulmones dilabitur, ut in coryzâ, tūm suffumigia ex mastiche, thure, benzoine sunt optima pulmonica. 2º. Si adsit exhalatio alcalina & calefacentis acrimoniae, ut in peste, variolis, febribus malignis, tūm verum pulmonicum est vapor aceti vini Rhenani, pulveris pyrii. 3º. Ubi spiritus vitrioli aut aquæ fortis effluvia invadunt pulmones, undè sæpenumerò peripneumoniae graves, & asthmata fiunt, optimum pulmonicum est urinæ putrefactæ vapor ore receptus, à quo acidum pulmones infestans convertitur in sal volatile innoxium. 4º. Si

materia spissa & acris pulmones infestet , eorumque meatus infaciat , optimum pulmonicum est vapor aquæ calidæ cum pauxillo salis tartari & urinæ admisto , ut & cum herbis laxantibus & stimulantibus . 5° . Ubi nimia est siccitas & crassities lenta diluendum est vapore aquæ tepidæ , applicando nempè spongiam eadem mafactam ægri naso , jubendoque ut inspiret per nasum , expiret verò per os .

---

## C A P U T V I .

*De cardiacis.*

**C** Ardiacorum historia admodùm difficultis est , ideo imprimis quia quod uni cardiacum est , sit idem alteri venenum . Cardiacum vocamus , quod vires corporis potius quam cordis auget , quoniam augeri possunt cordis vires in sanitatis detrimentum ; si in febre inflammatoriâ cordis vis augetur , indèque sequitur debilitas corporis , tandemque mors ipsa . Pes vires intelligimus potentias corporeas , quæ musculos & liquida movent ; hinc vires sunt vel animales vel naturales .

Hinc cardiacum erit quod auget vim animalem movendi musculos & vim naturalem movendi liquida. Vis anima-  
lis movendi musculos omnino pen-  
det à spirituum animalium in cerebro  
secretione , hæcque à debito liquidorum  
per vasa motu. Ad hanc autem  
requiritur , 1°. Ut cordis vis con-  
tractilis pellat liquidum , ut ejusdem  
sit copia sufficiens in quālibet corpo-  
ris parte. 2°. Vasa apta sint ad liqui-  
dum transmittendum. 3°. Ut liquida  
sint meabilia sive ad fluendum apta.  
Hinc cardiaca ad 3 classes reducemus ,  
quarum 1<sup>a</sup>. Continet ea quæ in spi-  
ritus agunt. 1°. Materiam iis produ-  
cendis aptam præbendo ; hæc materia  
proximè accedit ad albumen ovi , vid:  
*Harvæum de albumine ovi & genera-*  
*tione animalium , ut & Malpighii ob-*  
*servationes de ovo incubato : ii etenim*  
*observantur esse robustissimi , quorum*  
*serum proximè ad albumen ovi acce-*  
*dit ; undè patet originem spirituum*  
*esse ab alimentis ita mutatis , ut proxi-*  
*mè ad albumen ovi accendant , ita ve-*  
*rò per circulationem attenuatis , ut ad*  
*ignem concrescant : spirituum materiam*  
*maximè præbent cibi , potusque leves*  
*& nutrientes sapore , vel ipsis infan-*

tibus grato , similique odore prædicti ;  
talia sunt lac , Jura animalium sanorum diluta , vina imprimis odorata , cerevisia benè fermentata , fructus horæi maturi , grati & odorati , ut uvæ maturæ , ribesia , cerasa , imprimis nigra , mori , pomæ , melones , mala Persica , aurantia . 2°. Spiritus in hunc ille  
muscum vagantes determinando in cerebrum aut cerebellum ; talia sunt omnia antispasmodica , suffocationes hystericas & hypochondriacas tollentia , quæ omnia agunt vel stimulando , vel attrahendo vel laxando . 3° . Spiritus quiescentes suscitando ; talia sunt omnia sapore & odore grato prædicta , ut aromata omnia , imprimis Orientalia balsamica , cinnamom: nux mosch: macis , caryophylli , zedoaria , galanga , cortex aurant: citri Chinenses , gratus odor pomorum granatorum , abrotanum , melissa , thymus , lavana , rosa , jasminum , lilia convall: alba grana , kermes , crocus , opium . Huc pertinent omnia vina , spiritus vini , spiritus oleosi , sales volatiles alcalini oleosi , aromatici , omnes compositio  
nes factæ , omnia olea aromatica , es-  
sentialia , tincturæ , oleofacchara , sy-  
rupi , confectiones .

2<sup>a</sup>. Classis continet ea quæ agunt in vasa , ea nimirūm liquidorum transmissioni apta reddendo ; suntque 1<sup>o</sup>. Quæ vasa nimis stricta laxant ; talia sunt balnea , quæ hoc sensu sunt cardiaca. 2<sup>o</sup>. Quæ vasa nimis laxa roborant , iisque elasticam vim restituunt ; qualia sunt omnia austera ; hinc cortex Peruvianus , poma cydonia , ferrum , vinum austерum , cardiaca sunt iis quibus vasa inertia & flaccida sunt ; iis verò , quibus vasa stricta sunt , lethalia evadunt ; sic in morbis virgineis laxissimis chalybs conduceit , eadem verò in morbis acutis , ubi vasa sunt constricta , scirrhos insanabiles aut mortem accessit .

3<sup>a</sup>. Class: continet ea quæ in liquida circulantia agunt , ea nim: vel diluendo vel incrassando , prout nimis crassa , nimisvè diluta sint , & si diluenda sunt liquida , aquâ calidâ melius vix datur cardiacum .



## C A P U T VII.

*De carminantibus.*

**C**Arminare significat demulcere carminibus, à veteribus enim creditum erat Poëtas carminibus demulcere posse dolores & motus nimis vehementes; hinc Poësios æquè ac medicinæ inventor habitus erat Apollo. Carminans propriè est quod flatus unà cum doloribus intestinorum tollit. Quapropter explicaturo vim carminantis medicamenti inquirendum est, quomođo dolor & flatus in intestinis simul occurrant. Dolor in genere oritur à distractione fibræ sensilis. Flatus supponit hærere in intestinis materiam liquidam elasticam, calore rarefactam, & per vim quandam ibi retentam, quâ superatâ magno cum impetu erumpit. Materia liquida elastica est aër, qui erumpit vel supernè vel internè, ruit per intestina nunc in hanc nunc in illam partem; undè borborygmi; hinc in morbis flatus sunt triples, ructus nempè, crepitus & borborygmi. Materia illa elastica, nempè aër, intrat æsophagum, & per intestina tran-

seuns, si non coercedatur & calefiat ,  
absque doloris & flatum productio-  
ne per anum exit ; si vero coercedatur,  
tunc horrenda causat symptomata :  
coercetur vero vel ab externa vi com-  
primente , ut in virginibus abdomen  
valde comprimentibus saepè observa-  
tur , vel à fibrarum contractione , ut in  
spasmis fibrarum intestinalium sive pri-  
marum viarum ; sic sphincter æsophagi ,  
sive gulæ contrahitur saepè spasmodice ,  
ut in hysteris ; hinc aer ibidem in-  
cluditur , rarefactus gulam vehemen-  
ter extendit , unde comprimitur aspe-  
ra arteria , hinc suffocationis metus ori-  
tur , imò revera pro momento aliquan-  
dò suffocantur ; hinc facillimè expli-  
catur unde tumor abdominis in illis  
orientur . Id aliquando contingit circa  
orificium utrumque ventriculi , unde  
stomachus admodum distenditur , idem  
fit , si spasmus aliquis successivè nunc  
hanc nunc illam partem æsophagi oc-  
cupet , unde perfectissimus sensus glo-  
buli ad gulam ascendentis excitatur :  
idem fit , si constringatur aliquando in-  
testinalis fistula pars , quibus omnibus  
doloribus medetur flatus expulsio . Car-  
minativa ergo sunt , quæ spasmos istos  
rollunt ; unde fit ut comminiantia sine

laxantia & aperientia , hinc aqua fer-  
vida copiosè epota , olea calida , spi-  
ritus volatiles oleosi , antispasmodica  
omnia , motus externi , balnea , fomen-  
ta hūc faciunt , omnium autem sum-  
mum est opium . Spasmodorum dictorum  
causæ sunr 1° . Morbi nonnulli , qui li-  
quidum magis ad unam quām aliam  
partem determinant . 2° . Venena , sive  
acria ingesta , quæ tormina , flatus , &  
tumores violentissimos frequenter ex-  
citant , eosque tantos sāpē , ut indē  
crepent intestina : si scilicet vis causti-  
ca se applicaverit uni parti fistulæ , illa  
se contrahet & constringetur , undē  
liquidum elasticum includetur , calore  
rarefiet , & dolores excitabit , spiri-  
tuum interim magnâ copiâ ad locum  
dolentem ( prout in omni dolore fieri  
solet ) ruente , undē contractio magis  
violenta ; hoc in casu carminantia sunt  
quæ vel venenum extingunt , vel pres-  
sionem & fluxum liquidi nervosi ver-  
sūs partem affectam minuunt , ut opium ,  
omniaque opiata , quæ in hoc casu eā-  
dem ferè ratione agunt ac V. S. in in-  
flammatione impetum nimirūm mi-  
nuendo . Carminantia calida agunt qua-  
tenus stimulant motum per totum

intestinorum tractum, indèque contractio, aërisque tollitur interceptio.

---

## C A P U T V I I I .

*De anthelminticis.*

**A**nthelmintica dicuntur quæ vermes necant & expellunt; loci in quibus continentur vermes, sunt ætophagus, ventriculus, intestina omnia, raro tamen colon, nisi dum per idem transiunt vermes: hos locos esse vermium sedes probat titillatio in stomacho à vermibus orta, eorumque per vomitum & sedes rejectio. Anthelmintica medicamenta ad 2 class: reduci possunt.  
 1<sup>o</sup>. Continet ea; quæ (ut docet experientia) vermes necant, ut 1<sup>o</sup>. Olea omnia immediatè vermibus applicata, quæ obstruendo omnes illorum tracheas brevi eosdem destruunt, potetur ergo oleum, vel specie clysmatis injiciatur; sic D.... curavit quendam ascaridibus laborantem, omnibus aliis frustrà tentatis, solo clysmate ex oleo diù retento, expurgatâ priùs leniter alvo, quod semper fieri debet. 2<sup>o</sup>. Mellita omnia, quæ eodem modo agunt, hinc post datum

datum lene purgans jejuno stomacho  
(ut nil obstat) mel potum optimum  
est anthelminticum, præsertim pro in-  
fantibus. 3°. Quæ vulnerando, con-  
tundendo, pungendo vermes necant,  
ut oscula piscium deglutita, cornu  
cervinum, limatura martis, & similia  
instar spinolorum agentia, sed hæc ra-  
rò intestina tenera intacta relinquunt.  
4°. Venena insectis hisce dicata, ut  
mercur: sic præparatus, ut per intesti-  
na, non autem per vasa lactea tran-  
seat, qualis præparatio est æthiops mi-  
nerale pulverisatus, & cum leni pur-  
gante exhibitus, it: metallorum vitrio-  
la, ut martis, veneris, lunæ, si specie  
pillularum, addito leni purgante, su-  
mantur, & per alvum determinentur.

2°. Continet ea quæ vermes expel-  
lunt, qualia sunt omnia purgantia &  
vomitoria, quæcunque illa fuerint, abs-  
que ullo discrimine, modò vacuo ven-  
triculo assumantur. Amara illa quæ  
tanquam anthelmintica appellari &  
commendari solent, casu solummodo  
profundit, cùm nempè fibræ intestina-  
les sunt nimis debiles ad nidos ver-  
mium expellendos, vermes autem ne-  
quaquam necant amara illa. Notan-  
dum est errare homines istos qui aiunt

P

hominem liberari non posse à vermis-  
bus , nisi per anum expellantur eo  
tempore quo necantur , cùm si modò  
necati sint , brevi putrescant & muci-  
specie excent , teneræ adeò sunt tex-  
turæ.

## C A P U T I X .

*De anodynisi.*

**A**NODYNA medicamenta sunt quæ  
dolorem tollunt & sub se com-  
prehendunt 1º. Paregorica, quæ dolo-  
rem tollunt demulcendo. 2º. Hypno-  
tica, quæ dolorem tollunt somnum con-  
ciliando , 3º. Narcotica , quæ dolorem  
tollunt stuporem inducendo. 4º. Ne-  
penthes , quod p̄opriè significat me-  
dicamentum dolorem auferens.

*Theorematæ.*

1. *Anodium nomen generale est*  
quatuor prædictas medicamentorum  
dolorem tollentium species complec-  
tens. 2. Partes corporis fluidæ non do-  
lent , sed solidæ , hæque quatenus ex  
nervis constantur , non aliter , nervi ve-  
rò alii sunt consolidati , alii aperti , ca-  
vique , Prioris generis nervi doloribus


afficiuntur. 3. In omni nervo vitali adhuc si consideretur ejus ultimum componens, occurrit nil nisi membrana tenuissima & liquidum in eâ detentum & coercitum; membrana autem omnis nervosa ultima nervi cuiuscunq; constat fibris solidis & non cavis, quæ componuntur incredibiliter ex partibus minimis ad ignem aut aquam vix mutabilibus: Liquidum porrò contentum est omnium tenuissimum, aquæ nimirum ex liquido albuminis ovorum quodammodo simile productæ. 4. Omnis ergo dolor est affectio quædam vel solidæ membranæ, vel liquidæ contenti, vel utriusque. 5. Omnes causæ quæ dolorem producunt, ut ut in liquida agant, eaque mutant, nunquam producent dolorem nisi pro effectu habeant talem mutationem liquidæ, quæ solida afficiat. 6. Omnis ergo dolor pendet à mutatione quædam contactuum in solido ultimi nervi, quatenus adhuc liquidum continet. 7. Dolor omnis sit ab actione, quæ in fibrâ ultimâ talem excitat motum, qui, si continuetur, vel augeatur, necessariò destruit fibræ istius continuitatem, idque docent omnes historiæ dolorum quorumcunque: hinc & omnis dolor ingens diù durans pro fine

Iuo habet destructionem partis & rup-  
turam vasorum; sic ab inflammatione  
suppuratio & gangræna, à dolore ner-  
voso insensibilitas tandem oritur, mo-  
tu itaque illo sublato, tollitur quòque  
dolor. 8. Omnis causæ doloris quate-  
nus agit in unam fibram, agit tantùm  
trahendo, premendo, vel vulnerando,  
si verò agat in plures tubum consti-  
tuentes, tum considerari potest ut in-  
flans & distendens istum tubum; qui-  
quid ergò dolorem causat, id agit vel tra-  
hendo, vel distendendo, vel vulnerando.  
9. Tractio omnis elongando fibram  
dolorem in corpore sanissimo excitat,  
ut docent carnificum torturæ. 10. Ma-  
gnam vasorum per liquida contenta  
distensionem dolorem inducere fibras  
elongando docet historia medica; pa-  
ter hoc in tumoribus dolentibus ubi  
sublato tumore cessat dolor. Notan-  
dum quòd licet vas distentum idem  
quoad longitudinem maneat, tamen  
fibræ laterum elongari possint ex istâ  
distensione. 11. Vulnerantia omnia pro-  
priè sic dicta sive pungendo, sive tere-  
brando, sive secando operantur, quam-  
diù operantur dolorem excitant elon-  
gando fibras; simul ac verò produxere  
effectum, cessat dolor; hinc nervus ab-

scissus nequaquam dolet. 12. Ignem & omnia acria invisibilia simili planè ritu, ac causas enumeratas, agere in historiâ acrum evictum est. 13. Dolor in parte aliquâ excitatus tollitur. 14. Destructo nervo in parte, ubi dolor est; destruitur nervus quandò liquidum per eum fluere amplius non potest. 20. Interceptâ communicatione motûs dolorem causantis ad sensorium commune. 3°. Cerebro inepto redditio ad communicationem causæ dolorificæ recipiendam, ut patet in apoplecticis & omnibus, quibus cerebrum aliquâ ex causâ compressum est. 14. Unius fibrillæ ultimæ dolor infimus & mitissimus oritur à motu solito aliquantulum majori fibrillæ superinducto, cuius finis est perceptio gratissima, quæ quatenus à vellicatione miti oritur, dicitur titillatio, quatenus à rosione liquidi contenti, dicitur pruritus; sic gratissimus odor & sapor si diù & vehementer percipientur, dolorem excitant, idem quoque obtinet in sonis. Unius fibrillæ ultimæ dolor summus & vehementissimus oritur à diù continuatâ ejus elongatione dissolutioni quam proximâ, sed tamen absque dissolutione: doloris verò supremi augmen-

tum oritur à numero fibrillarum simul affectarum, duæ enim fibrillæ ita affectæ non tantum excitant dolorem ac si plures essent affectæ. Ex dictis patet, quod dolor omnis oriatur à distractione sive elongatione nimirum fibrarum, & si procedat à causâ externâ, tolli potest ablatione istius causæ: distractionis autem nimirum causæ internæ ad 5 reducuntur ac proinde totidem sunt classes medicamentorum anodynorum causas istas tollentium.

Causæ autem sunt 1°. Nervi alicuius semi laceratio, pars etenim illa nervi semilacerati quæ illæsa manet, multo majorem impetum seu contractionem sustinet, quam in statu nervi sano; undè sequitur ejusdem distractione sive elongatio: ponamus enim e: gr: A. B. nervum esse constantem ex tribus fibris, quæ dum integræ & illæsæ sunt, sustinent simul omnem illam vim, quâ nervus se contrahere conatur, & resilire versus puncta A. B. quibus affigitur; si jam una ex ipsis fibris rumpatur ad C, reliquæ duæ totam vim sustinebunt, quæ anteâ sustentata erat à tribus, undè distractionem & dolorem necessariò pa-



tientur. 2°. Inflatio nimia à spasmo.  
3°. Distentio nimia ab aliquo ob-  
struente, & vi vitali urgente. 4°. Dis-  
tentio nimia ab acri impacto & vi vi-  
tali urgente. 5°. Tractio nervorum à  
proprio elatere suprà corpus durum &  
impactum, ut suprà calculum in uretere.

Primam causam tollunt, 1°. Inte-  
gra discissio, sive ustio nervi semila-  
cerati; hinc cultelli, ignis & caustica  
potentialia sunt summa anodyna. 2°.  
Partium laceratarum ad se mutuò ad-  
ductio; hinc in summis doloribus hæc  
sæpè mirè juvant, ut docet experien-  
tia, nam quamdiù musculus vulnera-  
tus hiat, dolet, partibus verò ad se in-  
vicem adductis, cessat dolor: hinc  
ergò huc pertinent suctio, ligaturæ,  
futuræ. 3°. Totius nervi emollitio &  
laxatio, quæ efficiunt ut partes nervi  
illæsæ absque dolore in longum pro-  
tendantur; huc itaque pertinent om-  
nia laxantia & emollientia, qualia sunt  
1°. Aqua calida. 2°. Posca levis ex  
unâ aceti & tribus aquæ partibus. 3°.  
Decocta emollientia, farinosa, subo-  
leosa specie emplastri, fomenti, vapo-  
ris, cataplasmati, sive balnei appli-  
cata. 4°. Omnia balsamica lenissima,  
ur bals: Peruv: gum: elemi, tereb:

P iiiij

&c. vitello ovi soluta & applicata, ut ad locum affectum intrent. 5°. Partes animalium recenter occisorum calidæ applicatæ: sic summum habetur anodynum, si v: gr: brachium læsum in abdomen animalis recens mactati indatur; Haustus largus ex similibus paratus. 4°. Si partes vulneri vicinæ sic mutentur ab aliquâ causâ, ut durecant & resiliant, sicque minutæ partes semilaceratas perfectè solvant, talem partibus vicinis mutationem inducunt oleo tereb: & alcohol vini calidè affusa & similia, quæ inter agendum maximum semper dolorem parient. Si à semilaceratione alicubi in corpore profundè oriatur dolor, nulla spes est curæ, nisi aucto dolore tandem integrè solvantur læsi nervi, sic si in ligamentis hæreat talis dolor; auferri nequit, nisi destruatur nervus, quo peracto statim cessat dolor, hinc in podagrâ tophaceâ nullus ferè est dolor.

Secundam causam tollunt ea quæ spasmi causam tollunt; spasmi vero causa vel in cerebro vel in nervo, vel in villo musculofo hæret, eaque semper est vel acre irritans, vel spiritus inæqualiter determinans, summaque hic remedia sunt 1°. Potus attenuantes

& diluentes acri oppositi copiosè sumpti. 2°. Augmentum motū liquidorum.

Tertiam causam tollunt 1°. Quæ acre impactum corrigunt mutando figuram acutam in obtusam ; hoc autem sit 1°. Componendo acre cum aliis particulis. 2°. Frangendo ejus acumen vel coctione vel suppuratione. 3°. Involvendo per demulcentia. 2°. Quæ acre impactum educunt , qualia sunt 1°. Quæ vias laxant , hinc dixit Hipp: omne dolens ab acri laxandum est. 2°. Quæ diluunt liquida. 3°. Quæ determinant foras , *vide attrahentia.* 3°. Quæ acre impactum ad quietem deducunt ; id autem ad quietem deducitur 4°. modis , nempe 1°. Liquidorum circulantium , & solidorum contractilium impetum minuendo ; nisi enim à vi contractili solidorum & vi projectili fluidorum acre infixum compimeretur , non produceret dolorem. Contractio in solidis minuitur laxando , impetus in fluidis minuitur proprius ducendo ad statum mortis sive approximando ad mortem ; hinc omnis dolor paulò antè mortem cessat , *vide Tit: de medicam: fistentibus.* 2°. Impetum alibi determinando *vid: attrahent:* 3°. Animi deliquia excitando. 4°. Cau-

fas externas acre per se iners actione suâ excitantes , quales sunt calor & motus partis , auferendo.

Quartam causam tollunt ea, quæ vasa laxant , infarctum resolvunt , & vim projectilem liquidorum minuunt ; huc itaque pertinent M: S. omnis magna evacuatio , incidentia , attenuantia , solventia , diluentia , ut balnea , fatus , &c.

Quintam causam tollunt , 1<sup>o</sup>. Omnia ea , quæ primam tollunt . 2<sup>o</sup>. Quæ leniter lubricando , resolvendo , & stimulando impactum movent , & propellunt . 3<sup>o</sup>. Quæ impactum determinant ad locum ubi minimè noceat , *vide attrahentia* . Si dolor sit ingens , causam verò tollere non valeamus , dolor sui ipsius fit medela hominem destruendo . Sunt tamen quædam quæ & si causam doloris non tollant , ejus tamen sensum minuunt , talia sunt hypnotica seu soporifera . Hypnotica omnia ad 2. classes reduci possunt , quarum 1<sup>a</sup>. Continet omnia illa quæ somnum producunt , auferendo somni impedimenta : hæc impedimenta , plerumque sunt objecta externa , dolores , calores , sudores , animi pethemata , varique corporis morbi , quibus sublatis , sponte sequitur som-

nus, hâc itaque ratione omnia ferè medicamenta, ut diluentia, resolventia, incrassantia, humectantia, exsiccantia, calefacientia, refrigerantia, acida, alcalina, aliaque innumera, & planè contraria fiunt hypnotica, prout hoc illudvè symptoma, quo impeditur somnus, tollunt vel mitigant, sic terrestria in infantibus propter acidum in ventriculo & intestinis contentum & dolores vigilantibus excitans, sæpè somnum producunt, sic rosa, salix, melones, pepones, cucumeres, lactucæ, taraxacum, endivia, acetosa, &c. extrinsecùs & intrinsecùs adhibita in morbis calidis somnifera sunt.

2<sup>a</sup>. Class: continet ea, quæ somnum producunt suppressando causas naturales vigiliarum & imprimitis impediendo fluxum liquidorum per nervos, hæcque sunt triplicia, 1<sup>o</sup>. Mitia & tuta. 2<sup>o</sup>. Fortia & periculosa. 3<sup>o</sup>. Mala & ferè letalia. Mitia sunt quæ somnum naturalem levem & facile rursùs solendum producunt, qualia sunt crocus, papaveris rhæados omnes partes, uti semen, folia, capita, succus (papav: album, cynoglossum in omnibus suis partibus, solanum officinale & somniferum illud blandum herba Paris,

&c. Fortia sunt quæ producunt somnum coactum , profundum & vix excutiendum , cum summo stupore ; huc pertinent opium , hyoscyami semen , &c. Mala sunt , quæ producunt somnum profundissimum morte plerumque terminandum , si verò excuti contingat , sequitur omnium animi facultatum depravatio ; huc pertinent hyoscyami utriusque flores , poma , folia , radices & succus. Stramonii semen quod ad 3j est lethale , ad 3 fl. insaniam creat : lolii farina , oxyscheni semen , solani lethalis poma aurea , succus nicotianæ copiâ nimis in nonassuetis , vinum nimis copiosum & spiritus indè producti.

## C A P U T X.

*De antidotis.*

**A**ntidotum , alexipharmacum ; alexiacum , alexiterion & theriaca idem denotant medicamentum , nim: quod contra venenum valet. Venenum vocatur quod mortem subito inducit vi quâdam singulari. Mors inducitur tollendo circulationem sangu-

nis à corde in pulmones & cerebelum , & ex iis rursùs in cor ; hæc autem circulatio tolli potest , 1°. Tollendo vires motrices . 2°. Corrumpendo liquida . 3°. Vasa obstruendo . 4°. Agendo tria prædicta simul . Vires motrices tolli nequeunt , nisi solida & fluida sint corrupta ; liquida verò per se considerata peccare non possunt ( ita scil : ut indè vires motrices pereant ) nisi in coagulum abeundo : coagulum autem fit vel in venis per assumpta vel in vasis pulmonalibus per inspirata , *vide coagulantia* Vasa destruuntur , vel quatenus ab acrimoniâ liquidis contentis per venena superinductâ eroduntur , vel quatenus nimis arctantur , qualis arctatio contingit vasis pulmonalibus à sulphuris fumo inducta , &c. Hinc omnia quæ vasa minima valde constringunt aut erodunt internè vel externè applicata , vel quæ liquida coagulant , sunt venena ; & si effectus hofce subito producant , vocantur venena tetterima , si lentè , vocantur lenta ; & plurima ex his vim suam exerunt motum circulatorium perturbando , etiam secretorium & excretorium , nec non spirituum motum , spasmos inducendo ; hinc omnia venena simplicia ad tria

capita reduci possunt, nempè 1) Ad ea quæ motus prædictos deturbant.  
 2) Quæ vasa constringunt aut erodunt. 3) Quæ liquida coagulant. 4) Ex hisce simplicibus composita venena facile erui possunt. Ex dictis patet, quod antidota talia esse debeant, quæ vel venenum corrigunt, vel idem expellunt, vel vasa muniunt, vel spasmos compescunt. Quæ corrigunt, agunt vel demulcendo, vel vim coaguli tollendo, vel resolvendo. Quæ expellunt, id agunt vel per circulatorium motum (sic aqua calida cum aceto & sale epota ob motum auctum & sudores excitatos antiquissimum erat alexipharmacum) vel attrahendo extrâ, *vide attrahentia*. Vasa muniuntur per blanda glutinosa, oleosa', saponacea, *vide emollientia, lubricantia, demulcentia*. Impetum in genere nervoso & spasmos compescunt omnia quæ recensuimus simul & opiate: hinc theriaca, diaescordium, aliaque alexipharmacæ conflari solent ex fortibus sudoriferis, gelatinosis, demulcentibus & opiatis, &c. simul commixtis. Antidota omnia ad duas classes reduci possunt, quarum 1°. Continet simplicia; hæc sumuntur 1°. Ex animalibus, ut omnium venenato-

rum carnes, eorumque sales, olea per infusionem cum carnibus venenatis praeparata, venenatorum lapides sive calculi concreti. Huc spectant trochisci de bufonibus Helmontii, de viperis Andromachi, de serpentibus; Itali oleum scorpionum, viperarum, serpentum, bufonum, ranarum, pro summis alexiacis habent. Pertinent huc etiam attrahentia, ut lapis bezoar, *pedro del porco*, lacryma lapidosa, 69. &c. 2. Ex vegetabilibus, nim: ea quae vel constringunt vel aperiunt, vel demulcent, ut abrotanum, angelica, anthosa, radix carlinæ, contrajervæ, cardui benedicti serpentariæ virginianæ, tormentillæ, folia scordii, rutæ, fraxini, dictamni albi, hirundinariæ juglandis, &c. ex quibus omnia sublimata sunt optima. 3. Ex mineralibus, scilicet omnia absorbentia, ut boli, terræ, &c.

2<sup>a</sup>. Clas: continet composita, ut sunt diatessar on Mesuæ quod summè diaphoreticum & innoxium est; electuarium desucco rutæ, de baccis lauri, de satyrio, de ovo, confectio hyacinthi, alkermes: dein antidota opiate, ut requies Nicolai, philonium, Persicum, Arabicum, Romanum, theriaca, diafcor-

*352 De antidotis.*

dium Fracastorii , Sylvii , orvietanum  
( quod magistrum suum fefellit , ille  
enim gloriabatur se illius ope quodli-  
bet venenum internè sumptum debel-  
laturum , cùm verò ex Medicorum  
præscripto grana 30 arsenici sumpsi-  
set , antidoto hoc suo non obstante  
brevi mortuus est ) mithridatum .

Ex dictis patet generalia nulla dari ,  
sed antidota evadere quatenus hunc  
illumve effectum in corporibus pro-  
ducunt .

*F I N I S.*

**DOMINO**

DOMINO  
JO. BAPTISTÆ VERNA

*M. D. Celeberrimo, Patritio Lancianensi*

ANTONIUS MARIA ZANINI

*M. D. Veronensis S. D.*

*Vigilias.*

D Octissimis consiliis tuis , litteris-  
que ad me sæpius datis , Præstan-  
tissime Vir , Laurentius Basilius non  
ægrè acquievit, & manus dedit; fidem-  
que , quam tibi sic volenti juratus ob-  
strinxit , non invitus solvit , auctiori  
quidem fœnore , quam præceperas.  
Hermannum tuum Boerhaave , tuum  
quia sic amas , ac tueris , totum col-  
legit , & typis evulgavit ; immò pro  
Apophoretis inaugurales quasdam ora-  
tiones in calce adjecit , quæ anteà tan-  
quam Sybillæ folia pervolitabant. Ner-  
vosus planè Author & solidus , *sparsis*  
*documentis* , non verba , aut methodos  
captat , nervos tantùm scientiæ sepa-  
rat & proponit , ad Verulamii amus-  
sim affabré factus. Non ne pluteum  
cædit , & demorsos sapit Ungues ? Si

Q

quid aliud in animo occurrit , impera-  
bis ; Tibi litterarius orbis debebit , quod  
Italico syrmate condecoratus Herman-  
nus in ore , in oculis omnium sit , &  
Batavi tibi tanquam Proxenæ officia  
sua deferent quod Coneivis sui gloriæ  
sic prospexeris . Adde , quod exteris ,  
ac peregrinis editionibus , si Leydensem  
excipias , mutilus , detruncatus , ac ma-  
lè pexus tantus Author in scenam pro-  
dierit . Quæris de studiorum meorum  
ratione ? Fervore quædam fateor , nisi  
torpor quidam subinde obreperet . To-  
tus sum in *Erotiano* , quem tot novis ,  
& obsoletis Hippocraticis vocibus ve-  
luti infaciens cumulavi ut prægrandis ,  
& ingens acervus latenter excreverit .  
Hesychius mihi præivit ex mei Scali-  
geri monitis , & Valerius Harpocratio  
( petitis vocabulis ex Isocrate , Herodoto , Thucidide , qui verè Hippocra-  
tis synchroni fuerunt ) facem prætulit ,  
Philippo Mausaco Aquæstiensi , &  
Henrico Valesio Parisiensi mihi duci-  
bus , ac magistris . Non nè palam est ex  
Fuchsio , si sic introspicias , quandoque  
*Cornarium* furere potius , quam interpre-  
tari ? & *Foesium* non semper rectè Hip-  
pocratem latinè nobis obtrudere ? Quid  
enim in Perfrigeratis *Ἐπαύενταρτες* ?

& in Pulmoniacis, Φωιδες? & alia  
innumerabilia occurunt; sed vellem  
haec coram. *Occulta Acutorum funera*  
ad umbilicum perduxi, non sine in-  
genti labore, sed malim mea mecum  
sic perire, quam talia apud Ignaros  
projicere, & obgannientes ubique scio-  
los cavere. Latrant in dextero, & in  
sinistro itinere Canes, ut Æneæ Sylvii  
querimonias ex epistolis in medium ad-  
ducam. Satiùs est mihi meo in larario  
meo bono genio, ac musis canere, quam  
insanientium morsibus objici. De Me-  
dicis nostratis curiosè rogas, qui  
nostra populosissimâ in urbe medicinam  
faciunt, quid sentiam, liberè expo-  
nam. Major pars ipsorum, ut uno ver-  
bo cum Aristophane dicam, Α'ποθέτε,  
& reverè Νεφέλας Εἶνες. Suas Hypo-  
theses in musæo conflant, elaborant,  
in delitiis habent, & Disciplinis ad-  
dicti paucissima ex naturæ præscripto  
ad praxim revotant, Veteres Patres pe-  
nè execrati. Undique pulpita ipsorum  
Machinas sonant, Τεχνολυγίματα, struc-  
turas, schemata tonant, ac denuntiant  
Sed haec tolerabilia; illud non tolera-  
bile cum Euripide.

— Κεῖνο δὲ εἰν αὐτοσχετὸν  
Εἴας οὖτε χαλωργά τοις Κανόσιοιν,

Q ii

Dominus Raynaldus Dulioli communi  
amicitiæ vinculo utrique devinctus,  
emeritus professor Patavinus, Boerhaa-  
vii amicissimus, dum in Batavia dege-  
ret, initis cum ipso sàpè sàpiùs con-  
siliis in rebus gravissimis; diebus pro-  
ximè elapsis Bononiam concessit, Hy-  
giæ, Apollini, Ærumnis, nostrisque  
laboribus valedicturus, maximo cum  
omnium mœrore, πλευρώσει ipse, &  
honoribus affluens. Quid enim ipso ab-  
sente, aut ejuratis medicis Musis spe-  
rare liceat? meis verbis officiosè te con-  
salutat, & ex animo omnia fausta pre-  
catur. De tuis elucubrationibus *de Vi-*  
*veniū Medicorum Fatis*, quas publi-  
cè, & privatim toties promisisti jam  
diù est, quòd sumus solliciti. Dii bo-  
ni, quām expectatum opus! sed manum  
de tabulâ; multum valeas, nosque fre-  
quenti litterarum commertio per tot  
terrarum, ac maris intervalla recreare  
non recusabis. Vale.

Venetiis Kalendis Aprilis M. DCCXXII.

# CAROLI PASINI

PHIL. ET MEDIC. DOCTORIS

*Epistola ad Praclariss. Virum*

JO. BAPTISTAM VERNAM

M E D I C U M ,

ET PATRITIUM LANCIANENSAM.

UT Tibi gratulor de Viri eximiis  
Hermannii Boerhaave medicis  
mentorum Operum novâ editione ,  
quam Laurentium Basilium Bibliopo-  
lam nostrum assiduis tuis incitatum  
hortatibus nuperrimè evulgasse , per  
literas Antonii Mariae Zanini jam cer-  
tior es factus , sic ipsum Basilium in  
illis iisdem Operibus recudendis ab  
nonnullis præstantissimis hominibus  
amplissimâ hac in Urbe rationalem ,  
veramque Medicinam profitentibus  
operam , & consilium nequaquam ex-  
petivisse , non vehementer dolere non  
possum. Quum enim hujusmodi me-  
dendi scientiæ Magistri modò memo-  
ratos Boerhaavii de rebus medicis Li-  
bros , & optimè intelligere , & præ-  
clarissimè explicare queant ; eos roga-  
tos præfationem de Boerhaavianorum

scriptorum excellentiâ , & utilitate ;  
nec non annotationes juvenibus qui-  
dem Boerhaavii doctrinas addiscere op-  
tantibus maximè utiles , ipsi verò ce-  
leberrimo Authori honorificentissimas  
Basilianæ , de qua verba facio ; edi-  
tioni addere potuisse. Tu ipse , Per-  
egregie Vir , probè perspicis. Esse autem  
nobilissimos in hac inclytâ Civitate  
Medicos , qui quod dixi vel facillimè  
præstare valeant , præclarè ut videas ,  
mecum simul velim animadvertis , con-  
fesse ipsorum potissimum partem per  
experimenta , & ritè institutas obser-  
vationes diligentissimè explorare quid  
natura cùm in secundâ , tum in adversâ  
valetudine faciat , aut ferat , quæ ma-  
gister in morbis ostenderit : solereque  
præterea omnes nostrorum corporum  
vires , motus , actiones , omnes faculta-  
tes , rationesque agendi medicamento-  
rum ad rationalem Mechanicen redi-  
gere penitioris Anatomes , Chymicæ ex-  
perimentalis , ac Artis computandi ad-  
miniculis. Atque hujus quidem rei Ja-  
cobus Brachi , Bernardinus Zendrinus ,  
Dominicus Sanctorinus , Hieronymus  
Oddonus , Leonardus Doro , Joseph  
Grandis , Andreas Rosletus , Jacobus  
Marchi , Viti Scientiâ rei medicæ , &

facundiâ oppidò insigne , mihi sint  
testes ; testis sit quoque ( ut nunc alios  
meritissimos homines vel brevitatis  
gratiâ præteream ) Petrus Antonius  
Michelottus , qui novissimè edito Ope-  
re de separatione fluidorum in corpore  
animali , & animadversionibus ad Ten-  
tamen V. de motu Musculari Doctiss.  
Jac. Keillii præcipua apollineæ artis  
jecit fundamenta saniori Anatomiæ ,  
ac sublimiori Mechanicæ innixa : quo-  
rum ope complura ab ingeniosissimo  
quidem Boerhaave in Medicis Institu-  
tionibus pro datis posita , haudqua-  
quam tamen demonstrata , atque ad  
cordis , sanguinis , musculorumque  
motum ad respirationem , ad liquo-  
rum pressiones , velocitates , fluidita-  
tes , secretiones , ad animales denique  
spiritus attinentia nullo negotio ostend-  
di posse , quis neget ? eorum præser-  
tim qui præclara commemoratorum  
Philosophorum cogitata sic satis inter-  
se conferre sciant . Haec omnia si at-  
tentè perpenderis , sinceroque animo  
judicaveris , nullus dubito , quin illi-  
cò fateare , philogræculum Zaninum  
injuriâ , libertateque quanquam Græ-  
cis , ex parte , velatâ litteris non fe-  
renda ad te scriptitasie : majorem nos-

tratium Medicorum partem per aerem  
incedere , hospitio accipere nebulas ;  
subtiles disputationes , aut argutias  
pulpitis dignas suis auditoribus exhi-  
bere ; paucissimaque ex naturæ præ-  
cripto ad praxim revocare. In ejus-  
modi sanè hominem convenit Βοιώτεων  
&c. Vel potius Α'θηνᾶς φίλος. Imò  
quoniam dictitat , nos Veteres Patres  
penè execrari , Tu , quæso , vide , ille ,  
an nos magis præceptis Hippocratis  
pareamus. Nos enim quæ Hippocra-  
tes Thessalo filio præcepit diligenter  
servamus. Ιστορίας δέ μελετω τοι ὡ παι,  
Γεωμετρίας , καὶ ἀεθμάτιος , &c cæt. hoc  
est , Ad cognoscendam Geometriam , &  
Numerorum scientiam , mi fili , multum  
studii adhibeto. Non enim solum vi-  
tam tuam illustrem , & ad multa com-  
modam in humanarum rerum statu ef-  
ficient : sed etiam animam acutiorem ,  
& clariorem redditent ad omnium , quo-  
rum usus in medicinâ expetitur , utili-  
tatem consequendam. Zaninus contrà ,  
hæc & similia his damnat , & si Diis  
placet exhibilat , immemor eorum , quæ  
ab eodem Hippocrate scripta sunt in  
alterâ epistolâ , videlicet ad Diony-  
sium : Εγώ δὲ σῆμα ψεύτων , &c cæt.  
hoc est , Ego vero neque morbum ip-  
sum

sum esse puto, sed immodicam doctrinam, quæ reverè non est immoda-  
ca, sed ab dictis prætatur, nam nonnun-  
quam nociva est virtus immodica. Ex-  
cellentia verò, morbi opinionem de  
se præbet, propter judicantium impe-  
ritiam. Unusquisque enim ex his, quæ  
ipse non habet, judicat quod in alio  
abundat, superfluum esse. Sic sanè etiam  
timidus fortitudinem immodestiam pu-  
tat, & avarus magnanimitatem. At  
enim paucissima nos ex naturæ præ-  
cripto ad praxim revocamus ! Quid ?  
Annon perfectissimus Naturæ Genius  
est, si quis Zaninum similem emit ?  
ita aiunt populares Empirici. Quorum  
nonnullos vel prudentissima celebrio-  
rum Medentium consilia malè ceden-  
tibus eventis ponderare solitos, si res-  
cieris, non semel hic, & alibi coram  
ingenuis Medicinæ Doctoribus teme-  
rè pronunciasse, Experientissimum  
Boerhaave in cognoscendis, & agi-  
tandis humani corporis ægritudinibus  
plerumque falli, hoc ædepol demira-  
beris qui illos in ipsius Boerhaavii stu-  
diosissimorum numero idem Zaninus  
reponere potuerit. Ceterùm ut Empi-  
ricotum illorum confidentia stomacho  
fuit iis omnibus, qui eximii Viri sum-

R

mam in medicinâ faciendâ præstantiam norunt constantissimâ famâ celebritate tûm apud suos , tûm apud exteris gentes comprobatam ; ita nemini non risum movebunt verba illa Epistolæ Basilianæ : *Hermannus Boerhaave nunc temporis Batavis oris advectus , auspicia tua quærit , & fidem implorat ;* quasi verò nunc primùm in Italiam Boerhavii Opera importata essent , vel tantum Authorem a doctissimis , & celeberrimis quibusque Italis jam diù probatum , & jure ac meritò in editis etiam libris sæpè laudatum supplicem in ejusmodi præser-tim Medici fidem , & clientelam conferre se , atque configere deceret . Post tremò illud velim à Te , Ornatissime Verna , non ignorari , quum de optimo Zanino suam fortunam quærente , nostrorumque ægrorum magno illo Medico orbatorum commune periculum miserante ad Illustrissimi Venetorum Medicorum Collegii Socios nuper à me referretur , seniores risum vix tenere potuisse , multumque thoro-sam juventutem ( ut Persii verbis utar ) ingeminasse

— *Tremulos naso crispante cachinnos.* Vale,  
D. Venetiis IX. Kalendas Majas M. DCC XXII.

---

## LIVRES NOUVEAUX

Qui se trouvent en nombre chez  
GUILLAUME CAVELIER,  
Fils, Libraire, ruë S. Jacques,  
près la Fontaine S. Severin, au  
Lys d'Or, à Paris, 1723.

**B**OERHAAVE (Herm.) Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis in usum doctrinæ domesticæ digesti. in 12. Paris. 1720.

— ejusd. Libellus de Materie Medica & remediorum formulis quæ serviant Aphorismis de cognoscendis & curandis morbis. in 12. Paris, 1720.

— ejusd. Institutiones Medicæ in usus Annuæ Exercitationis domesticos, Editio quarta, prioribus longè auctior. in 12. Paris. 1722.

HECQUET (Dom.) Novus Medicinæ conspectus quæ Phisiologia & Pathologia est cum Appendice de Pest. 2. vol. 12. Paris. 1722.

— ejusd. De purganda Medicina, ubi detecto evacuantium fuco, Purgationum fraudes & imposturæ revelantur.

Rij

*tur. in 12. Paris. 1714.*

—du même. *Traité de la Peste, l'danger des Baraques & des Infirmeries forcées, avec un Problème sur la Peste*, in 12. Paris 1722.

—*eiusd. Hippocratis Aphorismi ac  
mentem ipsius, Artis usum & cor-  
poris mechanismi rationem expositi-*  
*gr. lat. in 12. Paris. 1723.*

*Traité des Operations de Chirurgie, sui-  
vant la Mechanique des parties du  
corps humain, & la pratique des  
Chirurgiens de Paris les plus sçav-  
ans & les plus experimenterz, par  
Garengeot. 2. vol. in 12. Paris  
1720.*

*Traité complet de Chirurgie, contenant  
des Observations & des Réflexions  
sur toutes les maladies chirurgicales,  
& sur la maniere de les traiter, par  
le Sieur de la Motte, 3. vol. in 12.  
Paris 1722.*

*Le Miroir des Urines, selon les Ex-  
periences des plus habiles Medecins  
anciens & modernes, par Davach de  
la Riviere. in 12. Paris. 1722.*

—du même. *Traité des Fièvres, de  
leurs causes & differences, les moyens  
de les connoître par les Urines, & de  
les guérir par la vertu des simples.*  
12. Paris 1698.

*Réflexions critiques sur la Medecine*,  
où l'on examine ce qu'il y a de vray  
ou de faux dans les jugemens que  
l'on porte au sujet de cet Art, par M.  
le François. 2. vol. 12. Paris 1723.  
—du même. *Projet de réformation de  
la Medecine.* 12. Paris 1723.

—du même. *Dissertation contre l'us-  
age de soutenir des Theses en Me-  
decine, avec un Memoire pour la Re-  
formation de la Medecine de Paris.*  
12. Paris 1720.

*L'Anatomie du corps de l'homme*, en  
abrégué, ou description courte de tou-  
tes ses parties, avec l'Explication de  
leurs differens usages, par le moyen  
de leur structure & de leur composi-  
tion, selon les Observations des Au-  
teurs les plus modernes, traduit de  
l'Anglois de Keill par Noguez. 12.  
Paris 1723.

*Moyens pour assurer son salut, & se  
disposer à une sainte mort*, par un  
Religieux Barnabite, nov. Edition  
augmentée. 2. vol. 12. Paris 1723.

*La Geographie de M. le Cocq*, nov.  
Edition continuée jusqu'à présent. 2.  
vol. 12. fig. Paris 1723.

*L'Idée d'un Roi parfait*, par M. Chan-  
sierges. 12. Paris 1723. R iiij

*L'Office de la Semaine Sainte & de celle de Pâque, en Latin & en François, selon le Missel & le Breviaire de Rome & de Paris, avec des Méditations & des Reflexions.* in 12.  
Paris 1723.

— *La même.* in 8. fig. Paris 1698.  
*en gros caractère. Impression de M. Leonard.*

*L'Histoire Générale d'Espagne depuis le commencement de la Monarchie jusqu'à présent.* 9. vol. in 12. avec fig. Paris 1723.

*Les Odes Galantes & Bachiques de M. le Brun.* 12. Paris 1719.

— *du même. Epigrammes, Madrigaux & Chansons.* in 8. Paris 1714  
*Oeuvres, tant en vers qu'en proses, de M. Pavillon, de l'Academie Françoise.* in 8. Paris 1720.

*Nouveau Voyage aux Isles de l'Amérique, contenant l'Histoire Naturelle de ces Pays, l'Origine, les Mœurs, la Religion & le Gouvernement des Habitans anciens & modernes, le Commerce & les Manufactures qui y sont établies, & le moyen de les augmenter, Ouvrage enrichi de plus de cent figures.* 6. vol. 12. Paris. 1722.

*Dialogues entre Messieurs Pâtru & d'Albancourt sur les plaisirs.* 2. vol. in 12. Amst. 1714.

*Les Agrémens du Langage réduits à leurs principes.* in 12. Paris 1718.

*Amusemens de M. le Duc de Bretagne, Dauphin, avec un discours sur sa mort, & autres Pièces, Chansons notées en musique, &c.* in 12. Paris 1712.

*Architecture de M. le Clerc, avec des Remarques & des Observations très-utiles pour les jeunes Gens.* 2. vol. in 4. fig. Paris 1714.

*Observations & Maximes sur les matières Criminelles, par M. Bruneau.* in 4. Paris 1715.

*Textes des Coutumes de Paris ; avec des Notes, ou Décisions sommaires sur chaque Article de M. de Ferrière.* in 18. Paris 1680.

*Nouveau Commentaire sur les Coutumes de Paris, par M. Ferrière, avec les Notes de M. Daramont.* 2. vol. in 12. Paris 1719.

*Histoire du Droit Romain, son Progrès, Decadence, Rétablissement, la Vie des Jurisconsultes anciens & modernes.* in 12. Paris 1678.

*Horry ( Claude ) Traité de la Jurisdiction Ecclesiastique , contenant la Pratique des Officialitez.* in 4. Paris 1703.

— du même. *De la Competence des Jurisdictions Ecclesiastiques.* in 4. Paris 1703.

*Style Civil pour toutes les Cours & Jurisdictions du Royaume, pour les Matieres Civiles , par Gauret.* in 4. Paris 1715.

— du même. *Pour les Matieres Criminelles.* in 4. Paris 1717.

*Jo. Stephani Menochii , è Soc. Jesu ; in universam Scripturam Comment. Editio novissima , cæteris omnibus emend. & auctior Supplemento novorum Proleg. & Animadversionum, ita ut ad plenam Scripturæ intelligentiam , nihil desiderari possit.* in fol. 2. vol. Paris 1719.

*Les Souverains du Monde , Ouvrage qui fait connoître la Genealogie de leurs Maisons , l'Etendue & le Gouvernement de leurs Etats , leur Religion , Forces , Titres , Prétentions , Armoiries , Résidence , avec un Catalogue des Auteurs : le tout conduit jusqu'au temps présent.* 4. vol. in 12 fig. Paris 1718.

*Les Pseaumes de David & les Cantiques de l'Eglise*, traduits nouvellement en François, avec des courtes Notes littérales, historiques & morales, tirées des Auteurs sacrés & de S. Jérôme. in 12 à trois colonnes. 1715.

— Le même Livre, en gros caractère, le Latin, la Traduction & les Notes. in 8. Paris 1720.

*La Genèse*, traduction nouvelle, contenant l'Histoire de la Création du Monde jusqu'à la mort de Joseph, avec des Reflexions morales & instructives. in 8. à trois colonnes. Paris 1715.

Dictionnaire Chrétien, où les Prédicateurs trouveront la matière de tous les Sermons de l'Année, & les Fideles tous les sujets de Méditation sur les Vérités de la Religion. in 4. Paris 1715.

Sermons de Morale prêchés devant le Roy, par M. Flechier, Evêque de Nîmes, avec ses Discours Synodaux, & autres Sermons aux Etats de Languedoc, &c. 3. vol. in 12. Paris 1713.

Oeuvres spirituelles de M. D. Bl. F. contenant l'Esprit de Penitence. Des biens qui se trouvent dans les maux du monde. Du désir & de la crainte

*de la mort. Considerations sur les principaux devoirs de la vie Chrétienne, &c.* in 8. Paris 1712.

*Nouveau Testament traduit en François selon la Vulgate, avec des Explications littérales tirées de l'Écriture Sainte, par le R. P. Marijanay, Benedictin.* 3. vol. in 12. Paris 1712.

— du même. *Essais de Traduction sur les Versions François du N. Testament, avec des Remarques.* in 12. Paris 1713.

— du même. *Supplement aux Essais de Traduction.* in 12. Brochure.

*Imitation de Jesus-Christ, avec des Reflexions Morales & Chrétiennes, par S. A. R. Madame D. M. Traduction nouvelle, avec l'Ordinaire de la Messe Lat. Franç. par M. le Tourneux.* in 12. Paris 1722.

— *La même, petit caractère,* in 24. Paris 1713.

— le même. *Explication littérale & morale sur l'Epître de S. Paul aux Romains.* in 12. Paris 1715.

— le même. *Les Offices de la Toussaint, des Morts, & de S. Marcel Lat. Franç. à l'usage de Rome & de Paris.* 12. Paris 1720.

— le même. *Explication des parties*

*de l'Office & des Ceremonies de la Messe.* in 8. Paris. 1707.

*Art de la Prédication, ou Maximes sur le Ministère de la Chaire.* in 12. Paris. 1712.

*Bibliothèque universelle des Historiens, contenant leur vies, un jugement sur leurs Ouvrages, leurs différentes Editions, &c. par M. Dupin.* 2. vol. in 8. fig. Paris 1707,

*Breviarium Romanum, ex Decreto Concilii Trident. Restitutum in quo omnia suis locis ad longum posita sunt.* 4. vol. in 18. Rub. nigri col. Agrip. 1703.

*Concilium Tridentinum.* in 24. Paris, Leonard. 1697.

*Caignet. Le Dominical des Pasteurs, où les Curéz trouveront les Instructions qu'ils pourront faire au Peuple pour tous les Dimanches de l'année.* in 4. Paris 1712.

*Conseils d'Ariste à Celimene sur les moyens de conserver sa réputation, avec les Maximes & Pensées diverses,* in 12. Paris, 1692.

*Ecrits, Evangiles, avec les Oraisons de l'Eglise, Extraits du Messel Romain.* in 12. Paris. 1718.

Les Livres suivans sont sous Presse.

*L'Histoire des Juifs & des Peuples voisins jusqu'à la Naissance de Jesus-Christ , traduit de l'Anglois de Prieux. Nouvelle Edition augmentée avec figures. 6. vol. in 12.*

*S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi Opera , studio Monachorum Ord. S. Benedicti. in fol. 3. vol.*

*Nouveau Voyage aux Côtes d'Afrique, contenant l'Histoire naturelle de ces Pays, la Description du Senegal, &c. 4. vol. in 12. avec figures.*

*Le Traité des Criées , par M. Bruneau. Nouvelle Edition , revûue , diminuée & augmentée. in 4.*

*Contes & Fables Arabes , par M. Calland. 2. vol. 12. fig.*

*Essay d'une Philosophie naturelle. in 12.*

---

L'on trouve chez le même Libraire des Livres sur toutes sortes de Sciences , tant imprimés en France , que dans les Pays Etrangers.